


# JESUS PUER

Poema

**Thomae Cevae**

Soc. Jesu

ad Mediolanensem editionem nova cura recognitum et
brevi adnotatione instructum

a

**Dr. Laur. Clem. Gratz,**

Professore in reg. bav. Lyceo Dilingano,


et

**Joan. Mich. Broxner,**

Praeceptore in reg. schola lat. Dilingana.

**Dilingae ad Danubium.**
In Typographia Aulingeriana.
**MDCCCXLII.**




Overbeck del.
Adr. Schleich sc.

# JESUS PUER

Poema

**Thomae Cevae**

Soc. Jesu

ad Mediolanensem editionem nova cura recognitum et brevi adnotatione instructum

a

**Dr. Laur. Clem. Gratz,**
Professore in reg. bav. Lyceo Dilingano,

et

**Joan. Mich. Broxner,**
Praeceptore in reg. schola lat. Dilingana.



Praes VII. 1854 dono obtulit.

**Dilingae ad Danubium.**
In Typographia Aulingeriana.
**MDCCCXLII.**

1842

# Lectori
## S. P. D.

Nostra aetate quum magis magisque studium latinorum poetarum, qui recentioris sunt temporis, resuscitetur nec non recolatur, a viris, qui in Veterum scriptoribus tractandis et interpretandis, atque in juventute literarum studiosa instituenda consenuerunt, admoniti Cevae pulcherrimum omnibusque numeris absolutum poema „Jesus Puer", quod in librariorum tabernis prostare desiit, de integro typis describendum et quantum fieri potuit, emendandum curavimus. Quae res nobis, qui non solum veterum poetarum, verum etiam recentiorum studio jam ante delectabamur, gratissima venit, provinciamque demandatam lubentissimo animo suscepimus. Quam ob rem quantum temporis munus publicum, quo fungimur, reliquum fecit, summa voluptate Cevae impertivimus, qui eruditorum virorum

Haec habuimus, quae, humanissime lector, de editione nostra paucis moneremus; qua uti si visum tibi fuerit, speramus fore, ut Cevae poema haud parum voluptatis tibi adferat, praesertim quum non magis verborum ornatu et quadam naturae facilitate, quam copia, varietate ordineque admirabili conspicuum sit.

**Dilingae ad Danubium Cal. Jun.**
**MDCCCXLI.**

***Editores.***

# *Vita Thomae Cevae.*

**Thomas Ceva Mediolanensis familia ortus honesta plurimum, et, ut tum erat fortuna, locuplete. De hoc priusquam dicam, venia et gratia est a lectoribus postulanda, quo minus nobis succenseant, si de vita excellentis viri brevem admodum scribimus commentarium, quod ei secus conveniret. Sed nobis obscuriora ejus sunt facta pleraque, quod ei ad multam senectutem vita suppeditavit, omnesque ei aequales fere ante nostram aetatem naturae debitum reddiderunt. Illustri ingenio fratres fuere tres *), utpote qui poetices aut mathematices gloria in literatis habiti sunt viris, nomenque memoria et commendatione dignum reliquerunt.**

**Hic lustro minus tertio Societati Jesu nomen dedit **); qui qualis esset in omni futurus vita, initio statim aperuit; partam opinionem virtutis perpetuo auxit, animum vero quotidie magis pulcherrimarum scientiarum cognitione erudivit. Quem nihil dubito, ut vere possim dicere ingenio fuisse felicissimo, mirificeque ad res plures accommodato ***). Nam si gratiae et laudi nobis ducendum esset musicen scire, et commode scien-**

---

*) Joannes Ceva procurator redituum Archiducis Mantuani fuit, et Christophorus Ceva, clarus versione latina Torquati Tassi, societati Jesu adscriptus. Cfr. Thomae Cevae Silvas. Venet. 1732. pag. 49. Allgem. Encyclopaedie d. Wissensch. u. Künste von I. S. Ersch. u. I. G. Gruber. Leipz. 1827. T. XVI. p. 90.

**) Thomas Ceva, natus XIII Cal. Jan. MDCLVIII, Societatem Jesu ingressus IX Cal. April. MDCLXIII, vota solemnia VI Id. Dec. MDCLXXXI professus.

***) Des talens fort différens, qui semblent presque incompatibles, et qu'on voit rarement réunis dans un petit nombre d'hommes privilégiés, lui ouvrirent une carrière variée et brillante. Memoires pour l'histoire des Sciences et des beaux arts. Paris. 1738. Février pag. 323. Eloge du Père Ceva.

terque canere, non minima in gloria fuisset. At haec ad nostram consuetudinem non pertinent, igitur videbuntur fortasse leviora aut potius gravitate non digna viri sapientis. Sed non pari modo arbitror apud omnes fore, qui sciam poetas tibiarum cantu ferme delectari et musica solere; vel propter similitudinem, quae inter genus utrumque intercedit, quamobrem qui ex tempore versus fundunt, solent excitari ad chordarum sonum; vel denique quod compositione apta consensioneque commode incidentium vocum, quam harmonian graece appellamus, poetae familiarissime utuntur. Sed nae sumus putidiusculi, qui haec tam multis.

Igitur poesi praestitit, quo nomine etsi magnus omnium judicio extitit, tamen matheseos scientia non minus commendationis obtinuit. Qua re utraque praestare quale sit, facilius ii existimabunt, qui judicare poterunt, quantae sit virtutis excellentiam habere. earum facultatum, quae maximarum habent rerum dissimilitudinem. Ceva quidem certe severiorem mathematicis aptam meditationibus et blandam habuit quondam suavitate efflorescentem naturam. Eam rem scio nonnullis singularem haud fore, cum tam multi hac aetate videantur utroque genere florere. Sed qui versus facere, et mathematica delectentur scire, non me fugit plures esse; an mathematici iidem et putandi sint poetae, nihil ego dicam gravius.

Ast excellens atque praestans Cevae natura, quoniam una ferme ad utrumque ejus elicuit ingenium, de mathematica primum dicemus, quae magnam et in primis gravem ei auctoritatem clarissimorumque virorum amicitiam conciliavit. Illi dedidit animum tum, cum ad physicae primum studia accessit, ad quorum usum et utilitatem mathematica magnopere pertinent. Sic autem operam dare coepit, ut mira celeritate per se ipse omnes condidicerit Euclidis libros, qui sunt de elementis, deinde etiam qui Archimedis et Theodosii sunt, dies et noctes magnam iis tribuens partem. Qua ex re Cevae tum adolescentis potuit ingenium aestimari. Post vero philosophica quinquennium magisterio scholarum exercitus, quod munus satietate laboris incredi-biliter mentis et corporis vires conterit, neque animum tamen a mathematicis revocavit, quin per occasionem subseciva nactus tempora huc se conferret, satisque ingenio faceret. Igitur studium a prima adolescentia incoeptum nusquam intermissum diligentia auxerat tantum, ut in illo juventutem adepto videretur esse perfectum, et suam quandam habere maturitatem. Postea cum ad Theologica rediisset in patriam, quo tempore Braydensis academia *) uno egebat viro, qui mathematica explicaret,

*) Universitas P. P. societ. Jesu Mediolani fundata a s. Carolo Borromaeo.

is ex omnibus est ea lege delectus, ut neque eo secius studiis obsequeretur suis.

At ejus non minus ingenium eluxit; namque celeriter est eam adeptus auctoritatem, quam postea ad extremam usque senectutem retinuit. Hoc ejus rei specimen, quod in eam urbem cum venisset, in qua Pet. Paulus Caravaggius vir nobilissimus magnam in famam pervenerát mathematices laude, eum consuetudine sua adeo sibi devinxit, ut nemo illi deinceps fuerit carior. Conciliata est autem amicitia Cevae juventutis prope calumnia. Nam viro summo et in mathematicis tradendis prudentissimo (tradebat vero ea publice in scholis Palatinis) hominis aetas vix juventutem ingressi minime Lycei gravitati convenire visa est sic, ut ejus periculum facere vellet problemate. At ille rem universam explanando cum ita esset interpretatus, ut simul plurimam proderet venustatem ingenii, unum ei par misit. Erat in Caravaggio cum summa humanitas, tum mira comitas, ut supra nihil posset addi. Igitur hominem biduo post convenit, et cum in ejus laudem multa dixisset, ad extremum amicissime declaravit, voluisse se ejus periclitari ingenium. Nunc quoniam haberet virum gratulari plurimum, tum vero postulare, uti missum declararet problema haud aeque sibi perspectum. Sed isthuc longe alio spectabat, quam videbatur initio, quod mediarum, quas proportionales vocant, quaestio callido erat consilio injecta. Igitur quam impeditissimum erat, ita ut evolvi non posset. Postea Caravaggius neminem amicitia antetulit. Quo factum est, ut vir omnium opinione magnus, cujus omni in Europa nomen erat maxime illustre, huic omnes juveni honores tribueret, libros inscriberet, et eum notum facere omnibus studeret.

In hisce versatus est studiis annos amplius quadraginta et quinque; quo temporis spatio multa edidit, quae etsi brevibus sunt voluminibus explicata, ut alia ejus pleraque; nam existimabat hoc eo valere, ut neque multo habeantur aere, occurraturque satietati lectorum: multam tamen laudem adepta sunt propter rerum novitatem. Atque in his est quaestio, quae disputat de vi corporibus indita a natura, ut ferantur deorsum ac perpetuo nitantur, quam gravitatem vocamus. Quo in genere constituit unaquaeque invicem ferri, interque se rapi: ea autem corporum virtute ad vicissim occurrendum, omnibus rebus ad librae leges expensis, contendit quiddam obtineri puncti instar, quod commune gravium centrum appellant. Quae ratio cum propter rei novitatem pluris est facienda, tum vero etiam plurimi, quod ea et diu secum ipse fuerat Ceva meditatus, et postremo scriptis tradidit, anteaquam ad illum notitia pervenisset ejus operis, quod

in Anglia fuerat pervulgatum ab Newtono illo magno incredibilisque ingenii viro.

Postea etiam primam corporum, quae decidunt, velocitatem et aeternas astrorum conversiones indagare ratione coepit. Sed non vacat omnia hoc loco commemorare, quae sunt ab eo tradita in iis libris, qui sunt de philosophia, de natura gravium; quaeque opusculis est iis complexus, quae inscribuntur mathematica, quibus uno tempore praestantiam venustatemque declarat ingenii. *)

Sane autem vereor, ut, quod volo, dicturus sim: sed mihi videtur Ceva sic mathematicum gessisse, ut ea in ipsa re poetam ostenderit. Nam belle et eleganter res versabat: et quibusdam mentis ferme cursibus volitabat in immensa prope illa mathematices spatia undecumque flosculos legens, ita ut modo, injectis repente luminibus, obscurissimis rebus superfunderet lucem; modo alias, quemadmodum poetis pulcherrimae felicissimaeque imagines incidunt inopinato, quamque minime aptis temporibus, sic ille improviso assequebatur impetu difficillimarum rationes rerum. Exemplo sit inventum, quo licet jam mechanice trifariam triangulum partiri percommode, opereque perquam nudo et simplici. Qua de causa maxima est ei tum laus tributa a literatis viris. Invidit illi hanc laudem nobilis e Gallia mathematicus Marchio Hospitaly, libro edito, quo se auctorem praeclari inventi faciebat. Sed notata est in actis Venetis Cevae editio annis decem anterior. Ceterum ea illi praeter opinionem res cecidit, cum urbem circumiens casu oculos ad pervetustae cujusdam januae supercilium convertisset, ut symmetriam universam observaret. Alia his multo essent plura, quae maluit igni dare, aut ad amicos rudia mittere diligentius amicitiae serviens, et hominum fugiens opinionem, quod nollet animi virtutem obteri levioris assentatione famae, a qua plurimum sibi timebat, quod etiam eleganti declaravit hexametro.

Sed enim nomen ejus et fama latissime pervagata omnium gentium doctissimos ei devinxit, ita ut epistolae ad Cevam ab omnibus mitterentur

*) Th. Ceva hos libros mathematicos edidit: a) De natura Gravium. b) De ratione Aequilibrii. c) De sectione geometrico-harmonica et arithmetica. d) De sectione anguli rectilinei in quotvis partes aequales tum organice, tum per quasdam lineas curvas. e) Instrumentum aptum ad hujusmodi sectionem ejusque usus. f) De Cycloide. g) De lineis phantasticis. h) De Flexibilibus. i) Machina di Fuochi per il S. Principe Eugenio. k) Rischio che si corre nell' uscire di carozza, mentre i cavalli sono in fuga. Cfr. Memoires. l. c. pag. 325. Chr. Wolf. element. Math. univ. T. V. c. 1. §. 33. Cap. VII. §. 9. Montuela hist. des mathém. Nouv. edit. T. II. p. 95. (Scheibels) Mathem. Bücherkennt. Th. I. S. 368. Biogr. univ. T. VII.

partibus, maxime quidem ab academiis Germaniae. Sed Italiae literatissimi eum familiarissime adhibebant, ut modo judicium ejus acciperent, modo aliquid tandem requirerent, et elicerent ex eo epistolas. Quo fuerunt in numero Vivianus, Regalinus, Ballianus, Saccherius et Grandius. Hi tum mathematicorum in Italia principes numerabantur. Sed cum Guidone Grandio maxima ei amicitia fuit ad ultimam aetatem; et ille nunquam non ad eum amicissime scripsit, aut ad quenquam huc literas misit, quin cum indulgentissimo quodam sensu Cevae etiam salutem mitteret. Quo magis miramur auctorem eum, qui libello memoriam rerum comprehendit de Grandii vita (Memorie per servire alla Vita del P. Abate D. Guido Grandi. Vide ephemerides literarias a. 1743. pag. 4.), quisquis ille est demum, nam in Venetis literatorum fastis, si memini, vapulat, malique animi insimulatur scriptor Anonymus; sed ut est, miramur affirmare, Grandium suscepisse cum Ceva inimicitias (quas ullo non tempore destitit cum clarissimis viris gerere, si fides dubiae fidei sit adhibenda scriptori), itaque etiam eum graviter multasse pervulgato carmine. At Grandii, an secus fuerint versus, non hujus est loci quaerere. Certe quidem ille missis ad Cevam literis, ab se calumniam pluribus est deprecatus, negavitque ejus amicitia quidquam sibi potius esse. Nunc ad incoeptum redeo.

Insubriae, ut tum erant res, latum gerebat imperium pro Hispaniarum rege Didacus Phelippez de Guzman Marchio de Leganes, (cujus doctrinae notitia continetur volumine, quod est ab illo conscriptum hispanice; estque titulus de Palladis schola. *) Hic quoniam mathematices studio plurimum efferebatur, quamdiu Mediolani fuit, Cevam praecipue dilexit, ut nemo ei carior fuerit aut familiarior. Amavit autem cum propter studiorum communionem, tum captus hominis natura, in quo virtutis mira indoles elucebat. In eo enim suavitatem constat summam fuisse, lenissimos mores, gratiam mirificam. Erat gravitas et cum gravitate junctus urbanitatis non scurrilis, sed simplex, refertus ingenio et animo lepos; tum vocis suavitas et lenis vocum appellatio in consuetudine dicendi, quae etiam solet bene loquendi famam conficere. Nos quidem, qui eo familiarissime usi sumus, et adolescentes observavimus senem, tam ejus consuetudo delectabat, ut nulla esset amoenitate et gratia conditior; magnoque opere mirabamur quotidie plenos literatae senectutis sermones. Eo factum est, ut Marchio de Leganes illum magna amplecteretur benevolentia,

---

*) Escuela de Palla, o sea Curso mathematico. Milan. 1693.

crebroque conveniret eo usque, ut officium erga se pati jam nullum vellet; sed mirantibus civibus ventitaret in Braydam, et famulatu ad fores omni relicto solus modo scalas ascenderet, ac Cevae adiret non secus cubiculum, quam si unus esset ex familiaribus: neque non etiam postremo pari modo discederet. Quae quantam indicarent amicitiam, judicabunt, qui sciunt, ut dignitate inter nos sint fere regia Mediolanenses gubernatores, quique non ignorant, quantam declararent eo tempore gravitatem imperii, potestatemque omnium rerum, cum in Hispanorum erat dominatu provincia integra, et nihil uspiam distracta.

Neque vero Leganes minus ei in aulam sui conveniendi causa aditum dedit, quo propter infinitas suas occupationes non minus crebro frueretur amicissimo viro. At ea gratia cum plurimum posset obtinere, tantum abfuit, ut nulla in re usus sit, sed modestiam perpetuo virtutemque praestarit. Atque hic illustre quoddam exemplum videtur habere locum, ne facti memoria intereat. Nam quodam die cum Leganes disputando Cevam demoratus esset ad noctem, cumque jam in eo esset, ut videretur hominem velle dimittere, quasi eum per pinacothecas diaetasque deduceret nihilo minus sermoni intentum, prudens volens duxit eo usque, dum sisterentur repente in rostrum, unde in theatrum erat despectus, habebatque exadversum scenas. Nihil ille non conatus, ut refugeret, sed manu prehensum, perque Superos eam rem deprecantem occlusis foribus jussit simul assidere. Quem constanter oculis humi positis cum videret renuere eos attollere, cumque ei persuadere tentaret, ut scenam ornatissimam et musicos pueros spectaret, qui agebant fabulam, noli, oro te, inquit, ea me velle aspicere, a quibus non abesse cum imperio facis. Quae modestia tantopere illi fuit grata, ut abeundi facultatem paulo post dederit, neque deinde coeperit aliud magis praedicare.

Hanc sibi cum summis viris amicitiam ingenii commendatione cum peperisset, est tamen laude dignum, quod in omni vitae genere et cultu se modestissime gessit, cumque unus a pluribus consuleretur, aliorum judicio plurimum ipse tribueret. Sed est aliquid magis, quod hac una re facile erit unicuique perspectum. Erat jam Cevae magna authoritas apud omnes et nobile nomen, cum Hieronymus Saccherius Mediolanum venit. Hic tum erat adolescens, sed laus ingenii maxima, adeo ut pauci pares putarentur. At Ceva ut judicium ejus faceret, cum nihil etiam in mathematicis versatum interrogatiunculis orsus esset lacessere, totum visus est statim corpore omni cognoscere, et admiratus, macte, inquit, esto adolescens, et nos quando plurimum ingenio superas, fac stu-

dio jam et diligentia praestes. Ex eo nihil magis studuit, quam ut Saccherio doctissimorum virorum amicitiam conciliaret. Tantum aberat ab obtrectatione et invidia, quae solet etiam amicorum gratiam exulcerare.

Nunc est de altera ejus laude dicendum. Magnus mathesi fuit Ceva, nec minor in poesi; nam mirifice ad hanc factum ejus videbatur ingenium; et praestantiam declaravit ab adolescentia non qualemcumque eclogas scribendo et fabulas admodum elegantes. Mirari autem subit, quid ita certi homines hoc avaritiae flagrent genere, utrumque ut renuant et eas in vulgus edere, et vero etiam cum amicis una communicare. Nos quidem sale esse et lepore multo venustas scimus; videre tamen licuit nondum. *) Utut est autem, Ceva mihi videtur fuisse poeta non unus e multis, potius inter multos prope singularis. Quoniam enim illud videtur esse proprium poetarum, ut doceant, simul mira animum devinciant jucunditate, utrumque effecit, adeo praecepta exquisitasque sententias molli versu pellucentique vestiebat. Quo in genere omnis ejus est ratio tamquam vermiculatum emblema: omnis est pulchritudo ab nativa, varia, perpetua novarum rerum imagine, singula suavitatis et animi plena. **) Et illud si probatissimum est genus poetarum, qui non solum fabulam ingenio subtexant, sed mores personis accommodatos sic referant, ut earum exprimere imaginem consuetudinis vitaeque videantur, nihil est, nisi plurimum fallor, quod cuiquam magis sit expetendum, modo idylliorum eos libros consulat, qui sunt de puero Jesu. Huc vero omnia pertinent, quo modo Nazarenis sensim se puer prodidit deum; et omnis est Athanasii et gravissimorum innixa scriptorum auctoritati sententia. Igitur ab Aegypto in patriam redeunti mali daemones primum moliri insidias, dolis deinde dubios plebis animos de ejus divinitate facere, miscere captionibus et praestigiis omnia. Sed retectis ad extremum fraudibus sanctissimum omnes puerum agnoscere, cujus pridem amore, admiratione, oraculis ferebantur, eumque magnis

---

*) Il (Ceva) ne conservoit presque rien de ses écrits, et comme ils étoient recherchés avec empressement, il les donnoit avec une bonté et une facilité qu'on oseroit presque lui reprocher, si ces qualités après tout n'étoient préférables aux talens de l'esprit. Memoires l. c. pag. 324.

**) Une pénétration subtile et profonde dans l'invention, une netteté admirable dans l'exposition font le caractère propre de ces derniers (les ouvrages de belle Littérature et de goût du père Ceva). Dans les Poësies brillent la nouveauté des idées, l'élégance, le feu poetique. Faut-il s'étonner des éditions réiterées qui s'en sont faites en Italie et hors d'Italie, des traductions qui les ont fait passer en d'autres langues, de l'empressement à les lire, de l'estime qu'on en a faite? Memoires l. c. pag. 326.

gratulationibus venerari ut Deum. Haec libris novem exposita, opus vero universum poema inscribitur, non eo ut leges epici sectetur; sed comico—heroicum auctor magis statuebat esse appellandum. Namque est consulto compositum ad ejus indolem gentis, quae Galliam transpadanam incolit, vocanturque Insubres. Itaque in omnibus miram refert quandam facilitatem naturae, et nihil non est eidem consentiens. Quam ob rem ad eos non spectat, quibus paulo est severior natura. At in eo genere, quod Ceva proposuit, nihil videtur aeque posse effici; nam copiam, varietatem, ordinem habet admirabilem; tum est natura iis coloribus oblita, qui maxime populari sunt assensioni accommodati, et mentem possunt recreare; versus vero tam flexibiles, ut nulli videantur esse magis in potestate posse. *)

Pari modo Silvas confecit, haeque constant plurimum fabulis perfacetis, quibus nihil potest esse dulcius iis, qui poeticae non sunt expertes suavitatis. Ad haec philosophiam versibus exposuit, quae ut illis temporibus tradita magni est facienda. **) Pleraque enim versatur in physicis, et multum habent locum mathematica. Sed in scribendo fuit celeritas mira; sex enim libri mensibus sunt totidem explicati. Breviter omnia et perspicue: inest etiam rebus comis quidam ornatus, excursionesque sunt accommodatae ad oblectandum animum. Magnam haec oppido commendationem habuerunt, eique rei indicio est, quod pluries statim sunt editi, atque ab elegantis ingenii viro italicis deinde versibus redditi. ***) Ea propter etiam Arcas est dictus magna Mediolanensis academiae gratulatione. Haec carminibus ab eo tractata sunt, in quibus nihil est ferme praeteritum, quod quisquam aut poetae convenire, aut ad poesin pertinere arbitraretur.

Sed quam diligenter totam ejus rationem cognitam et percepta habuerit praecepta, declaravit libro, quo posteritati prodidit memoriam Lemenii vitae poetae, ut illa aetate, clarissimi. ****) Nam quibusdam capitibus explicatis exposuit, quae maxime ad poesin putantur spectare; et

---

*) Der Jesuit Ceva war ein eben so grosser Mathematiker, als Poet, und wahrer Poet, nicht blos Versificator, wie sein lateinisches Gedicht Puer Jesus in neun Büchern beweist. Lessing.

**) Silvae et Philosophia novo-antiqua Th. Cevae Venetiis MDCCXXXII typis iterum excusae sunt.

***) Philosophia novo-antiqua dal verso latino è stata in versi sciolti volgarizzata da Dionigi Andrea Sancassani Magati da Comacchio. Ven. 1730. Dizionario storico, portatile. Dal Signor Abate Ladvocat. Transportato in Italiano. Bassano. 1790.

****) Memorie del Signore Conte Francesco Lemene.

opus est flore plurimo et colore respersum, quod pulchritudine et varietate vincit animorum satietatem. Neque sane facile quem dixerim sive a natura, sive ab ingenio plus habuisse hanc artem omnium artium maximam ad delectandum sine satietate. Hanc ille declaravit in omnibus, majoremque in modum iis in libris *), qui cum de vita sint virorum vel virtute vel sanctitate praestantium, hoc magis videntur facere difficultatem, quo plus solent inter se habere similitudinis. In omnibus autem inest venustatis quidam color oratione diffusus nec nimis extenuata, sed temperata, leni, et fere dixerim tereti, ad quam cum ordo et delectus accedat, delectatione vincit fastidium.

Igitur minus est mirandum, si huic magistro cum ex nostratibus, tum ex iis, qui una cum ipso simul erant Arcades, praeterea quicunque literarum studio ducebantur, tam se plurimum dabant, nullus ut ferme dies vacuus esset ab illius consuetudine. Qui quamquam longe modestissimus nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo docebat. Et haud scio, an magister illo esset ullus in instituendo praestantior; namque ad unius cujusque naturam singularem quandam suam accommodabat facilitatem ingenii, ita ut et celeriter, quae opus erant, cogitaret, et eadem explicaret summa usus prudentia ad informandas mentes. Hoc in eo constans fuit et perpetuum, ejusque nos sumus rei testes. Octavum egerat et octogesimum annum, cum eum primo cognovimus, atque hic illi postremus fuit. Ad gravissimam senectutem accedebat, quod ab annis circiter octo lumina oculorum amiserat, quam calamitatem semper moderaté tulit: assiduissime cum illo eramus, studiose exercebamur ipso quidem lubente; modo nostra legebamus, modo aliena ejus judicium audientes veluti regulam, qua vera et falsa judicaremus, quidque ad scientiam et elegantiam desideraretur. Ita fiebat, ut numquam non quotidie aliquid addisceremus adolescentes ab sene stipato studiis juventutis. Tantum ejus mens nihil, quod in reliquis solet, imbecillior est facta, quam in juventute fuisset. **)

*) Vita dell' Imperatrice Eleonora. Vita di Monsignor Ruzzini Vescovo di Pergamo. Vita del Conte Matteo Tavernà. Vita di san Gioanni di Dio. Riflessioni sopra lo stato presente della Cina. Osservazioni e Riposta sopra le stesse. Funerale alla Regina Maria Anna. Funerale al Signor Manfredo Settala. Le Esperidi per festa, et cetera.

**) Au dedans, au dehors il (Th. Ceva) étoit l'ame de tous les travaux littéraires: il animoit, il aidoit les Auteurs, il contribuoit du sien à leurs entreprises, il les dirigeoit, il conduisoit leurs études. Quelqu' occupé qu'il fût de ses propres affaires, jamais il ne se refusoit au

Tali modo cum extremam aetatem complesset, nactus est postremo vitae exitum maxime optabilem. Namque mortem timens cum egisset vitam solicitam, posteaquam est correptus apoplexi, coepit nihil formidare; cumque morbus illi mentem integram et loquendi reliquisset copiam, nihil erat amabilius, quam cum de morte loqueretur; adeo elucebat suavitas ingenii pristina mentisque securitas, ut jam non ex vita, sed de domo in domum videretur migrare; idque ei praemium fuit innocentis, moderatae sapientisque vitae. Die sexto postquam morbi eruperat impetus, decessit ad III. Non. Febr. MDCCXXXVII desiderium sui permagnum relinquens omnibus, qui eum cognorant.

---

besoin de qui que ce fût, jusqu' à se donner la peine obscure et rebutante de veiller à l'impression et à la correction de leurs Ouvrages, afin d'en rehausser le mérite et le prix. C'est le service qu'il a rendu en particulier à ceux du P. Charles Ambroise Cattanée, après la mort de ce Père, dont il a ramassé les Manuscrits épars en une infinité de petits papiers separés qu'il a rapprochés, réunis, mis en ordre, imprimés, enfin avec des Préfaces et des Tables convenables: travail peut-être plus pénible, certainement au moins plus desagréable et plus ennuyeux que ce lui de la composition. Mais la bonté naturelle du P. Ceva, sa charité, son inclination bienfaisante, lui en faisoient embrasser les occasions naturellement, et sans effort, sans cet air empressé, qui contente bien plus l'humeur du bienfaiteur, qu'il n'oblige celui qui reçoit le bienfait. En effet, rien n'étoit plus simple, plus humain, plus uni, plus modeste, plus éloigné de cette fierté, de cette hauteur dominante, au prix de laquelle les Sçavans vendent souvent, plutôt qu'ils ne communiquent les lumières qu'on peut tirer de leur commerce. Avec des qualités si aimables il comptoit autant d'amis que de personnes dont il étoit connu, et il n'en étoit presqu' aucune qui ne lui fût attachée par les liens de la reconnoissance. Memoires l. c. pag. 328 seqq.

## Ceva Lectori.

Jesum adhuc puerum manifestasse paulatim suam divinitatem Nazarenis suis conterraneis auctor est D. Athanasius (Orat. 4. contra Arianos), Titus Bostorum episcopus, Theodoretus, D. Vincentius, atque alii (apud Sebast. Barrad. in Conc. Evang. lib. 10. cap. 15.), qui in ea aetate quandam veluti divini Solis auroram praecessisse putant. Hanc agnitionem omnium pulcherrimam epico poëmate dignam censui. Atque ita rem disposui, ut in hunc finem coelestis Infans ex Aegypto in patriam reduceretur; cui deinde viribus omnibus Daemon moliri primo excidium aperto bello, mox nebulas offundere suspectae Divinitati contenderet, eventu tamen prorsus contrario. Hinc enim Nazareni multa passi, praestigiis detectis, divinum Puerum, cujus amore, admiratione, atque oraculis suspensi jam diu tenebantur, Deum tandem agnoscunt. Habes, lector benevole, rudem atque informem designationem poëmatis, quod a personis partim humilibus, partim illustribus, a quibus res geritur, comico-heroici naturam sumit; unde et stylus utrique formae in unum mixtae attemperari

debuit. Nec aliud mihi proposui, quam ut amorem erga coelestem Infantem ejusque sanctissimam Genitricem carmine insinuarem, deformitatem, odia atque artes Daemonum aperirem, et christianas virtutes allegoriis variis adumbrarem: exemplum secutus Jacobi Sannazarii, Ghelfucii, atque aliorum magni nominis vatum; praesertim vero Hieronymi Vidae, qui jussu duorum Pontificum Leonis X. et Clementis VII. res a Christo domino gestas inventis poëticis epice exornavit.



# Index argumenti.

## Liber I.

Thema carminis cum dedicatione (vers. 1—30). Moeror inter Nazaridas Maria matre et Jesu puero absentibus (30—45). Ad fontem in medio pago visa volucris fert fausta omina cantu (45—64). Jonas camelarius ex Aegypto veniens, nuncius incolumis Pueri sanctaeque Parentis, Nazareth patrium oppidum subit (64—113). Munuscula Mariae sibi commissa Debborae et Susannae defert (113—151). Multa de Jesu puero et matre narrat (151—306). Post prandium nuptiale rusticum ludi puellares celebrantur: oritur dissidium inter Damarim et Juditham, et miro exitu componitur (306—571).

## Liber II.

Virgo ex Aegypto redux in itinere ab Angelis convivio excipitur (vers. 1—98). Patrios colles subeuntem vindemiatores longe prospiciunt (98—163). Oppidani admoniti obviam exeunt (163—203). Domi Susannae

excipitur; inde paternas aedes subit (203—266). Puero, Matri et seni nutritio felices somni nocturno cantu e coelo devocantur (266—418).

## Liber III.

Daemon livore concitus bellum adversus Jesum molitur (1—57). Speculatores lemures mentito habitu Nazareth praemittuntur (57—101). Armilustrium in Perside instituitur (101—207). In conventu Nazaraearum matrum praesente Virgine Daemon explorator detegitur (207—279). Deipara ab Angelo monetur, ut secedat cum Puero in desertum Joannis Baptistae (279—301). Castra inferna in montes Abarim descendunt, atque ibi rixa exorta, mox classe aërea delapsa, bacchanal celebratur (301—500).

## Liber IV.

Deipara cum Jesu puero in vallem Aenonis ad divum Joannem Baptistam proficiscitur, et leoni sitienti aquam e puteo haurit (1—61). Puellus densos inter vepres sese occultat (61—84). Puella montana amore Jesu capta eidem ferre osculum a Virgine Matre impetrat, ejusque jussu in fonte se intuens mutatam sibi faciem eamque pulcherrimam stupet (84—289). Maria ad Joannem venit (289—325). Angelus in sinum Abrahae nuncius ad Patres mittitur (325—459).

## Liber V.

Aves tartareae Virginem in valle cum Joanne Baptista observant, idque in castris nuntiant, et bellum sollicitant (1—42). Deus Pater Angelo mandat, ut coelestem Puerum cum Genitrice in paradisum terrestrem transvehat (42—90). Juditha in somnis ab Angelis armatur adversus hostes (90—127). Describitur iter aëreum in terrestre Elysium (127—255), et clades Daemonum in valle Aenonis (255—517).

## Liber VI.

Elias Thesbites in paradiso terrestri Virginem colloquiis tenet (1—168). Divinus Puer superveniens Matrem rosis coronat (168—206). Sera nocte in palatium revertentibus occurrunt animae sanctorum Patrum (206—283). Aulam maximam subeunt, ubi sacra bella in parietibus descripta cernuntur (283—382). Illic drama ab Angelis exhibetur (382—412), atque iterum sancti hospites curru sublati Nazareth revehuntur (412—415).

## Liber VII.

Nazareni coelestem Puerum magis in diem admirantur, ejusque subobscuram Divinitatem curiose vestigant (1—129). Jonas camelarius iterum ex Aegypto veniens imminentis infortunii metu oppidanos terret (129—179). Agar peregrina historiam de Engaddi vinetis narrat (179—387), qua audita Alcindus senior afflatu numinis vaticinatur (387—423). Vox interim e coelo labitur, quae prosperum aerumnis ac votis exitum pollicetur (423—435).

## Liber VIII.

Simon magus adhuc adolescens puellam virginem Samariae sacrificat Daemoni, et magicis praestigiis se Dei filium uxoremque Selenen Deam jactans vulgo imponit (1—257). Deipara Virgo et Joseph coelestem puerum orant, ut se manifestet (257—317). Sed vere ineunte dum templum de more adeunt, in reditu Jesum amittunt (317—359). Magus impostor Samaritanos in silvam cogit, quos Selene amore sui et pravis erroribus imbuit (359—398).

# Liber IX.

**Oppidani irrito successu et novis infortuniis Jesum vestigant (1—148). Tandem Deiparae querelis motus Deus Pater Angelum mittit, qui primum viatoris senis habitu Puerum indicat (148—239), deinde excantatoris praestigias in silva dissipat (239—307). Apostrophe poetae (307—334). Jesus in templo Patribus subobscure se manifestat (334—459). Denique Matri redditus, in patrium oppidum coelesti comitatu regrediens, a Nazarenis agnoscitur (459—566).**



## Corrigenda.

Praef. IV. linea 2 lege iisque. Pag. VII. l. natus XIII. Cal. Jan. MDCXLVIII.
Lib. I, 196 lege tantisper.
Lib. I, 263 l. abscondere.
Lib. II, 39 l. pupulus.
Lib. II, ad v. 100 seqq. l. vectant.
Lib. IV, 8. l. ambo.
Lib. IV, ad v. 11. l. cf. II, 351.

---

# LIBER PRIMUS.

## ARGUMENTUM.

**Jonas camelarius ex Aegypto veniens Nazareth patrium oppidum subit. Munuscula Mariae sibi commissa Debborae ac Susannae defert. Multa de Puero JESU et Matre narrat. Post prandium nuptiale rusticum ludi puellàres celebrantur. Oritur dissidium inter Damarim et Juditham, et miro exitu componitur.**

CAELESTEM Puerum canimus, quem Parthenis alma
E Phariis retulit terris, mox impia contra
Tentamenta Erebi, primi genitoris in hortos
Sustulit aërio in curru, rursumque revexit
In patrios colles, donec vi turbinis atri
Amissum Solymis improvisoque receptum
Nazarei agnovere Deum. Tu, candida Mater,
Visa mihi in somnis inter confinia noctis
Auroraeque, comam niveis conspersa hyacinthis,
Caerulea argento et gemmis in veste micante:

---

V. 1. Parthenis a graeco παρθένος, virgo.

V. 2. E Phariis terris i. e. ex Aegypto. Pharaones appellabantur Aegypti reges, quod cognomen fuit dignitatis. Flav. Joseph. antiqq. jud. l. VII. c. 6. §. 2. Sive Pharius a Pharo insula, in mari medio ad Aegypti oram sita.

V. 3. Erebus (Ἔρεβος) fluvius inferorum frequentissime pro ipsa inferorum sede accipitur. Val. Fl. 2, 120.

V. 6. Solyma (orum) i. e. Hierosolyma (Jerusalem), quae metropolis Palaestinae in confiniis tribuum Juda et Benjamin antiquissima aetate Salem et Jebus dicebatur. Ps. 76, 3. Judd. 19, 10.

V. 10. in Edit. Veneta deest.

Tuque, Infans, pariter pulchrae Genitricis in ulnis
Visus adesse, rubro sublucens candidus ostro.
Vos adeo gemini este duces, cursumque docete
Per loca nunc primum Latiis peragrata Camoenis.
O decus Austriacae Gentis, cui subditus Ister
Thracibus ereptas centum praelabitur arces
Pannonia in magna, teneris Mavortius annis.
Jam nunc aere puer gaudens, et pulvere campi,
AVSTRIADE JOSEPH, si qua est via libera musis,
Si quid ab hoste vacat sacri inter tympana Martis,
Et raucos lituos, nostri quoque murmura plectri
Excipe, et invicti Genitoris plausibus adde.
Hic quoque bellum ingens horrendaque classica utrinque
Instructas acies campis, totumque videbis
Conjurare Erebum, atque omnem descendere Olympum.
Quin et sacrilegus conjuncto foedere praedo
Fraudibus insidiisque potens seducere frustra
Contendet populos, ausus sese addere Diti,
Mentitamque Deam falsumque imponere numen.
Unde egressa adeo series intexta supernis
Deliciis divum, bellisque alterna, beato

---

V. 14. **Camoena** (Camena) Dea italica, quae cantui praeerat. Camoenae et Musae juxta habebantur. Serv. ad Ecl. 3, 59. Hor. Od. 1, 12, 39.

V. 15. **Ister** alio nomine **Danubius** dicitur praesertim a fonte usque ad cataractas, quae sunt in montibus Daciae: inde deinceps Istri nomen assumit.

V. 15 — 30 Edit. Dilingana omittit.

V. 17. Pannonia sive Hungaria.

V. 19. **Josephus** I Leopoldi I Jmperatoris Germaniae filius (nat. 1678), Hungariae Rex (1687) et Romanorum (1690) creatus, dignissimus erat, cujus nomen poeta celebraret.

V. 26. **Sacrilegus praedo** i. e. **Simon** magus. Cfr. VIII, 18 seqq.

V. 28. **Dis** et **Ditis** dictus fuit Pluto, Deus inferorum et divitiarum praeses. Cic. Nat. D. 2, 26.

V. 29. **Mentitamque Deam** i. e. **Helenen** (Selenen), de qua infra VIII, 18 seqq.

Eventu clausa, incipiam. Jam tempore longo
Orba suo infelix sole, obscurisque relicta
In tenebris, luctu squalens moerebat Idume.
Nec tantum rapto tenera olim sponsa marito
Indoluit, nec tot lacrymas, tot taedia, tales
Pertulit aegra parens noctes, cui funere acerbo
Dilectum ante alios rapuit mors invida natum;
Nec dolor est ullus, nec tantus fletus amantum,
Quos procul avulsos terra, aut mare separat ingens:
Quantus erat, Diva Pueroque absentibus, inter
Nazaridas moeror: profuga cum Virgine quippe
Visus abire omnis risus, decor atque juventa,
Nec miseris reditura unquam tam dia voluptas.
Fons erat in medio pagi, quo saepe solebat
Lotrices inter reliquas pulcherrima matrum
Panniculos Pueri vitreo torquere fluento,
Mox herba in viridi puras distendere ad auras,
Huc variis plumis nunquam antea visa volucris
Purpurea cervice et versicoloribus alis
Venerat e Nilo, parvoque assueverat amni;
Frondosaeque sibi tectum delegerat inter
Aërios ramos et opacae umbracula fagi.
Illa igitur, quoties herboso in margine matres

---

V. 34. **Idume** sive Idumaea, regio inter Palaestinam meridionalem et Arabiam, olim a terra Jsraelis erat distincta, sed tandem facta est Judaeae pars et provincia a Davide primum subacta, post a Joanne Hyrcano recuperata: quam ob rem Idume pro ipsa Palaestina accipitur. Lightfoot Chorograph. Marco praemiss. c. 1.

V. 42. **Nazareth** urbs Galilaeae inferioris in monte sita. Luc. 4, 29. **Profuga cum Virgine.** Matth. 2, 13 seqq. **Aegyptus** in rebus adversis Judaeorum erat confugium. Genes. 46, 6. IV. Regg. 25, 26.

V. 49. Edit. Veneta:

Huc variis dives plumis peregrina volucris

V. 51. **Nilus** (Νεῖλος) notissimus Aegypti fluvius, qui in Aegyptium mare septem ostiis se exonerat. Juven. 13, 26.

Constiterant, propius volitare, et dicere quiddam
Velle videbatur. Quin flavo ubi vertice longos
Siccabant crines per eburnea colla fluentes
Ad solem viridi in clivo de more puellae,
Illa super secura humeros, supraque volabat
Distentos funes, quasi dicere nuncius ales
Virginibus vellet: „Vidi, quam fletis ademptam,
Vivit adhuc, vobisque fero fausta omina cantu;"
Carmina sed volucris non intellecta canebat.
    Has inter curas jam tertius ibat aprili
Florifer annus, et exacta post frigora bruma
Vitiferi colles, atque herbida prata juventam
Induerant, floresque novos, nova germina valles:
Cum demum, ut visum superis, e rure Canopi
Nazareus Jonas, Solymam qui forte camelos
Duxerat, atque Arabum merces, ut vere quotannis
Sueverat, in patrium divertit mulio pagum
Nuncius incolumis Pueri sanctaeque Parentis:
Visus ab aethereis descendere sedibus, ipsam
Visus et auroram, miserisque reducere solem.
Nam laeta ante alias mensis Neomenia primi
Forte recurrebat, viridique in gramine pagi
Turba soluta operum, calamis, conisque salignis
Et cursu ludisque aliis intenta vacabat,
Cum strepitus inter puerorum et gaudia ruris
Ecce! aderat multo respersus pulvere vector

V. 68. Canopus (nunc Abukir) civitas Aegypti ad Nili ostium, quod Canopicum (κανωπικὸν στόμα) vocant. Plin. 5, 31, 34.

V. 70. In ea Arabiae parte, quae felix (εὐδαίμων) dicitur, in qua Sabaei populi continentur, balsamum, cassia, tus, sardonix gemma et alia nascuntur. Ezech. 27, 22 sqq. Plin. 12, 30.

V. 75. Neomenia (Νεομηνία) novilunium. Veteres ad lunae cursum menses dirigebant, et a primo novilunii die menses suos auspicabahtur. Tertull. adv. Marc. 1, 20

Vespere jam sero: cui conterranea pubes
Protinus occurrit clangoribus undique laetis,
Obsessumque tenet. Quae fors, quae prospera caeli
Vis tulerit, quo atque unde rogant: centum heu procul annos
Absentem, patriae oblitumque queruntur. At ille
Nunc hos, nunc illos veteres complexus amicos,
Adsum, inquit, Memphi digressus longa viarum
Post spatia, et soles terdenos; vosque salutant
Et Maria et Ioseph et pulcher Jesulus: omnes
Quos liqui incolumes, et quorum laeta reporto
Nuncia. Ad haec festus sublatus ad aethera clamor,
Arrectique animi, vulgatusque illico rumor:
O age, dic, hospes, seriemque ab origine pande.
Quid Pharia regione struit pater? Ecqua relictae
Cura domus? Quantum misere expectantibus usque
Restat adhuc? Fesso nunc parcite; fusius, inquit,
Cras, ubi per noctem sopor instauraverit artus,
Cuncta renarrabo. Sed non turba anxia matrum
Ferre moram, similesque rubis, ederaeque tenaci,
Vestibus apprensum votis precibusque fatigant
Circumfusae omnes: siquidem retinere furentes
Laetitia, et differre avidis libamina prima
Quis poterat? Tunitru interea ter caerula nubes
Insonuit laeto: mox optatissimus imber,
Quem dudum campi sitiebant, murmure leni
Labitur, insequiturque ater rupto aethere nimbus.
Ocyus hac illac profugi cogente procella,
Qua via, qua propior domus, et qua densior arbos,

---

V. 85. Editio Veneta: Absentem patria, oblitumve queruntur.

V. 87. Memphis, sedes Aegypti regia, in loco totius Aegypti opportunissimo sita, ubi Nilus duas divisus in partes literae Δ speciem praebet. Diod. Sic. 1, 50 sq.

V. 94. Pharia regione. I, 2. 42.

Corbibus in caput injectis, tectique galeris,
Quos cuique ingenium tulerat, succedere tectis
Agricolae, et clausis nimbos arcere fenestris.
Atque ita congressum pluvia, et nox atra diremit.
Ast ubi deterso penitus nitidissima Eoo
Mane aurora algens humili de colle refulsit,
Convenere senem Susanna et Debbora primae,
Queis Maria ante alias primis assueverat annis
Bimula adhuc, utrique olim discrimine parvo
Areolae junctis laribus contermina tecto.
Huic illa intextum velamen miserat, illi
Niliacam zonam; et gnatis quoque Diva gemellis,
Utriusque memor, cera de candida eburnum
Addiderat dono pupum cum crinibus aureis,
Vellere compositum niveo; et de vellere eodem
Candidiorem ebore et cycnis adjunxerat agnum.
Has senior merces ubi protulit, inter odora
Cinnama quas secum convexerat: Hoc tibi velum,
Susanna; hanc, inquit, Phariam tibi, Debbora, pallam;
Atque haec Benoni, haec Vasthi munuscula ferre
Commisit Maria, inque sui vos pignus amoris
Ista tenere rogat: veniam simul usque precatur,
Si non plura, exul nempe et paupercula, donat.
Obstupuere ambae percussae, et multa volentes
Dicere, non illas lacrymae gemitusque sinebant.
Mirantur, versantque manu tenuissima lina,
Vixque audent digitis contingere cerea summis
Munera, nec cessant alternis reddere grates.
Jamque aliae interea matres, nuptaeque, nurusque,

V. 113. Eous est Lucifer (φωσφόρος), stella Veneris. Cfr. VI, 204. Virg. Georg. I, 288.

V. 120. Niliacus i. q. aegyptius. I, 51.

V. 122. Pupus h. l. imaguncula quaedam speciem pueri tenelli repraesentans.

Longaevique senes aderant, confertaque pubes
Plurima; perque manus ibat mirabile textum,
Rimanturque opus, atque aditu speculantur ab omni,
Et varia in luce observant, et cuncta tuendo
Expleri nequeunt oculi: atque an pinxerit ipsa
Mater acu illa Arabum folia, atque ubi fila reperta
Tam varia, et vivus color ille an flos amaranti,
An cerasi, an citri; super omnia cereus ille,
Quem roseis labris, quem reddat pupulus ore,
Lis erat, et strepitu vario sententia discors,
Vectoremque adeunt, importunaeque lacefsunt,
Passeribus similes, ingenti murmure cum se
Vepribus atque ebulis aestivo vespere condunt.
Haec inter Jonas narrabat mira seorsum
Longaevae Thamari atque aliis: Audite puellae,
Vos quoque, ait Zelphe; et muliebrem voce susurrum
Increpuit Jesse ruris pater. Incipe quaeso,
Inquit Abra, historiam rursum mirae arboris, unde
Penniger ille ater depulsus; penniger, inquam,
Ille latens ramis vetus incola. Sic ait, atque
Sedibus in junceis matres arcisque salignis
Consedere alii, fecitque silentia rursum
Bethsabaea manu: tum sic bonus institor. Arbor,
Dicebam, est ingens prope Memphim, ipsique coaeva,
Ut perhibent, orbi, inque auras altissima visu
Tollitur: immanem truncum vix brachia circum
Ducta queant novies passis complectier ulnis.
Huic horrens inerat bubo, agrestemque putabat

V. 152. Edit. Venet. addit: utque ordo ferebat
Et rerum series, ad casum forte volucris
Venerat, abstrusam trunco quam rite colebant
Silvicolae Aegypti; puerique adventus eandem
Egerat ad stygias umbras. Audite puellae,
Vos quoque...

Gens ignara deum: dubiis hinc omina rebus
Poscere, perfusasque mero cum lacte solebant
Porgere primitias frugum, solemnia dona.
Forte dies aderat, qua simplex turba quotannis
Ad liquidum fontem, fatalis cui super arbor
Imminet, exercet ludos, epulisque peractis,
Obscoeni nemoris velatus tempora circum
Deciduis foliis, responsa expectat aruspex.
At non e ramis, ut pridem, audirier ales
Incola, nec precibus, nec donis flectier ullis.
Adduxere nigrum mactandum rite juvencum,
Instaurantque epulas. Tum vero emissus ab orno
Feralis gemitus, voxque exaudita per auras:
Me puer Hebraeus, cui tellus astraque subsunt
Imperio, huc veniens migrare in Tartara cogit.
Diriguere metu, et circum tremere omnia visa,
Mox nido exhalare niger vapor, inde repente
Tartareus volucer coram se sustulit alis
Horrendus visu. Ter pennis circuit atris
Antiquam sedem; ter summis sidere ramis
Conatus, rauco ter cum stridore relapsus:
Inde fugit, sequiturque fugam foedissimus imber
Grandine commixtus; tum glebae, et grandia saxa
Conjecta in pateras, revolutaque pocula mensis.
Illico diffugiunt, metus et pavor omnia turbant,
Solemnesque dapes, infectaque sacra relinquunt.
Substitit hic senior paulum, interfataque Dina est:
Quis puer ille autem, stygius quem dixerat ales?
Nunc sequar (hospes ait) siccis permittite labris,
(Nam crudis caepis vox aspera faucibus haesit)

---

V. 172. Obscoeni. Ed. Veneta: frondosi.
V. 182. Edit. Venet. l. prodire pro exhalare.
V. 193. Stygius. III. 112.

Tantisper liquido verba irrorare lyaeo.
Sic ait, appositoque mero, ut gens prisca solebat,
Implevit pateram, manibusque utrinque prehensam
(Quod felix, socii, faustumque sit omnibus) hausit,
Bisque interrupit sinceris laudibus haustum,
Inversaque manu barbam, atque ora hispida tersit.
Adjecere animos rursum; sic ille secutus.
Ecce autem, postquam bis tertia fulserat Eos,
Ecce, inquam, Jessaea Parens, complexa puellum
Intortum pannis, deserta per avia parvum
Ferre videbatur tenera inter brachia solem.
Bisgemini anteibant juvenes, atque alter eunti
Signat iter, prensasque manu regit alter habenas.
Aestus erat, medioque dies altissima Olympo,
Et lassus senior conjux deponere in herba
Jamdudum optabat fessum latus, aeger anhelus,
Atque oculis circum lustrabat, sicubi rivus,
Aut usquam tecta ulla forent, cum rustica forte
Filia messoris veniens e rure puella
Monstravit fontem, et prope fontem umbracula densae
Arboris (haec erat illa arbor, quam diximus) atque hic
Sarcinulas posuit pater, atque e margine prona
Cervice hausit aquam gelidam; et qua purior algens
Manabat similis vitro liquidissimus amnis,
Fagineam implevit scutulam, uxorique sedenti
Optantique tulit; consuetos scilicet haustus,
Queis exosa merum teneris assuevit ab annis.
Interea fessi dum puri ad murmura fontis

V. 196. Lyaeus. VI. 54.

V. 204. Jessaea Parens. Jesse (Jessai, Jsai) pater Davidis. I. Sam. 16, 1. 11. Maria erat e familia David. Matth. 1, 5. 6. Luc. 3, 32.

V. 209. Olympus. IV. 92.

V. 211. Aeger anhelus. Edit. Venet. legit.: aegraque membra.

Respirant paulum, dum lenia frigora captant;
Ex improviso (dictu mirabile) mota
Inclinari arbos a tergo; et flectere summa
Culmina, detortis invertens brachia truncis:
Quod simul ac sensit, (nam pronis frondibus ipsos
Jam Mariae attigerat crines et mollia colla)
Extimuit subito, pressitque ad pectora natum,
Conversisque repente oculis suspexit opaci
Obsequium nemoris, stupuitque tenerrima mater.
Nec satis. E curvis ramis nata illico poma
Sponte cadunt, pars ante pedes, pars gramen in altum,
Pars in stagna, sinusque inter gremiumque resultant.
Improvisum imbrem venientem suspicit ipse
Percussus quadrupes, atque ictas concutit aures.
Ipsa manu dein casta parens acclinis ad undam
Fasciolas pueri lavit, traxitque salubrem
Contactu ex illo vim postea vitreus amnis,
Unde sacro tacti igne bibunt, aegrique cameli,
Et laesi jaculis abstergunt vulnera cervi.
Haec mihi narrabat Joseph: namque ipsa roganti,
Quo fugiat, pudibunda parens tegit omnia risu.
„O quae mira, hospes, memoras! Quo deinde puella,
„Quo gressus peregrina tulit? namque abdita prorsus
„Nunquam alias audita refers.“ „Procul, inquit Jonas,
„Excepit Memphis, Memphis cui moenia centum
„Circum errant stadiis, aeratis undique portis
„Pervia, pensilibusque hortis, et turribus, inter
„Niliacas urbes, terris celeberrima Eois.
„Hic vero exulibus nostris conducta prope amnem
„Aedicula extra urbem laetissima; namque fenestris
„E geminis Nilum, supraque infraque meantes
„Prospiciunt toto amne rates, solatia fessae

V. 236 et 237 Edit. Venet. omittit.

„Interdum nuptae, quae sola, et cognita paucis
„Interiora domus servat.“ „Sed quis labor olli?
„Quo vitam infelix tolerat tot saucia curis?“
„Nempe manu industri, digitisque intenta laborat,
„Pingit acu, pictasque stupet vicinia telas.
„Haec chlamys, hoc peplum Mariae labor est; puer iste
„Cereus ejusdem pariter labor. „Hinc,“ Berenice,
„Teque tuosque potes Phrygios absondere flores;
„Aspice quos flores pingit Jesseia.“ „Jam quid
„De puero Jesu narras? Grandiusculus ille
„Creverit, aequaevo venturus namque december
„Quartam hiemem Benoni addet: quid jam ille tenellis
„Incipit enodare labris? Quae gratia dictis?
„Quid senior conjux? Ecquando in patria tecta
„(Nam quid adhuc metuit?) gnatum uxoremque reducet?“
Hic bonus illacrymans hospes plorantia tersit
Ora oculosque, manusque ad sidera sustulit ambas.
„Delicium nostrum puer ille est, ipsaque mater
„Transtulit e gremio saepe in mea brachia, sed non
„Oscula ferre genis potui unquam, nam sacer obstat
„Continuo pavor, et pulchri reverentia vultus.
„Ille mihi curas vultu aspectuque serenat.
„O belli crines! o labra corallina! Vellem
„Audires, Susanna, semel cum matre loquentem:
„Audivi ipse semel, nec possum audita referre.“
„Certe aliquid plusquam mortale est pupulus ille,
„Et dixi toties, Maria, hic puer, hic tuus infans

V. 259. Formam industris apud Veteres fuisse putamus. Cfr. Doederlein Synon. T. I. p. 120.

V. 263. Phrygia, Asiae minoris regio, orientem versus ad Sangarium fluvium sita. Phrygii flores i. e. arte Phrygum acu picti. Virg. Aen. 3, 483.

V. 281. Ed. Venet. habet: ille puellus.

„Non est, quem caecum vulgus putat esse: fatere,
„Altior est illi quam sit mortalis origo,
„Tuque haec mira siles, sed et ipsa silentia nosco.
„Tum pater: Audite hoc, Memphi quod nuper in horto
„Contigit, et nostris sit meta haec ultima dictis.
„Venerat alma parens Phariae molitricis in aedes,
„Hortus ubi exiguus fuerat; sed frigore nondum
„Exacto nec dum rupto se prodere primum
„Folliculo, quos fagineis servabat in urnis,
„Audebant flores, caryophila pleraque, pictae
„Hesperides, nasturcia sera, rosaeque Damasci.
„Illa tamen puero optanti decerpserat unum,
„Cui calycis scissi e rima jam coccina vestis
„Exibat distincta croco. Pulcherrimus infans
„Ut tenuit, risit paulum; (mirabile dictu!)
„Flosculus ipse etiam risit, nexusque virentes
„Rupit, et explicuit sese; exemplumque secuta
„Caetera turba etiam pictis caput extulit urnis.
„At caepae quotquot fuerant, atque allia in horto
„Continuo traxere luem, morboque peremptis
„Successere alii frutices, flosque aureus inter
„Purpureos reliquos, cui crux et tristia quaedam
„Symbola, malleoli in foliis, et virgea flagra."
Talia narrabat cunctis mirantibus hospes:
Nec finis fandi, tot millia poscere rerum
Instat adhuc denso circumfusa agmine turba,
Effugiumque vetant. „Satis est: permittite jam nunc,
„Ut pagum, et patrios agros atque arva revisam;
„Namque diu hunc haustum puri aetheris exul anhelo."
Sic ait, atque iterum in pateram reliqua amphora versa est,

V. 288. Pharius. I, 2.

V. 292. Edit. Venet. pro caryophila (καρυόφυλλα) emendans legit colocasia.

Libavitque merum pleno tibi, Partheni, vitro.
Inde domo egressus circum ibat florida rura,
Vitiferos laudans colles auramque salubrem.
Donec longaevi ventum est Simeonis in hortum,
Nupta ubi Bethlaeo juveni pulcherrima Elisa
Traxerat agrestem festa ad convivia turbam.
Mensa ibi structa ingens sub opaco tegmine lauri,
Impositaeque super lances metretaque nigro
Stannea plena mero, et similis Phario obelisco
Caseus in medio, atque anates, fumantiaque exta,
Convivaeque boni circum, puerique operaeque,
Messoresque, viri, nuptae, innuptaeque puellae.
Jn medio Jonas pater in cathedra abiegna,
Thoraca exutus, geminos interque molossos
Iura dabat. Non hic famuli, nec inutile pondus
Argenti, et vanae lites cui debita primum
Ante dapes manibus lympha, et subsellia circum
Bellum importunum qui prima in sede locandus,
Quive locus princeps; nec dignior expectandus
Qui bibat ante alios, totque inter fercula tricae,
Juscula, pulticulae, pastilli, et glutina rerum:
Sed quales natura dapes creat, atque labore
Empta fames, vultusque boni, et super omnia curis
Libera mens, qua pauperiem clementia Divum
Temperat, humanis ex aequo provida rebus.
Talibus ergo diem solemnem turba trahebat.
    Interea Virgo et Pharia regione Puellus,
Absentes quamvis, disjunctique aethere longe,
Gaudia sincera, atque animos, atque otia pagi
Laeta vident: utque alma suum tunc forte gerebat
Infantem gremio complexa, utque ambo vicissim

V. 317. Bethlaeus. Cfr. VII, 231.
V. 326. Molossos sc. canes. Virg. Georg. 3, 405.

Muneribus super et dictis, atque hospite Jona
Plurima contulerant, roseo sic ore locuta est:
„Alme Puer (paulumque metu, non ausa fateri,
Continuit se: mox iterum formidine pulsa
Institit) „alme Puer, tua si mihi certa voluntas,
„Pulchrum aliquid caeleste hodie permittere nostris
„Agricolis inter solatia rustica vellem;
„Idque rogo, et meruere boni. Jam tempore longo
„Quae miseros nobis absentibus aegra fatiget
„Cura laborque, vides. Quid si manifestus uterque
„Laetitiae et ludo intentis, dum gaudia fervent,
„(Idque potes nutu) coram improvisus adesset?
„Quae tibi mens? quid ais, pulcherrime?" Dixerat. Olli
Dius amor (quid enim matri neget?) ardua quamvis
Grandiaque, atque insueta poposcerat, ore sereno
Annuit: atque diem festum, et bona gaudia ruris
Claudere successu libuit genialia miro.
Assensit coelo Genitor quoque summus ab alto,
Altius hinc orsus quae post memoranda canemus:
Inventusque modus, condictaque tempora, lusus
Agrestes inter, sero post prandia sole:
Tantus amor patriae, atque absente in Virgine cura.
Iam virides ergo platani majoribus umbris
Undique opacarant hortum: tres circiter horae
Restabant siquidem solis, fusique per herbam,
Aggestasque trabes super, et sub vitibus altis
Agricolae pransi jam dudum taedia ventris
Distenti inter se vario sermone levabant.
Cum senior juvenes lentos in terga jacentes

V. 345. Edit. Veneta: Plurima contulerant, sic Parthenis ore locuta:
V. 349. Edit. Veneta: Pulchrum aliquid nostris hodie permittere, si fas,
V. 358. Edit. Veneta: Illa quidem pro: Grandiaque.
V. 359. Edit. Venet. pro bona gaudia l. convivia.
V. 368. Edit. Veneta: Restabant solis, fusique hinc inde per herbam,

Increpuit dictis pater Ammon: Oh quid inertes,
Ut pasti saturique boves in stramine fusi,
Tamdiu, ait, segnes horas consumitis? io!
Macti animis, pueri, detersa oscedine, ludo,
Dum vacat, hoc reliquum traducite; surge, age, Laban,
Surge, Joas piger, heus! ohe! Simul Abra puellas
Parte alia hortari, atque omnem undique cogere pubem,
Nomine quamque vocans: Esther, Sulamitis, Elisa,
Ad ludum: ludo pulcherrima praemia victrix,
Quae socias pedibus praeverterit optima, habebit.
Continuo succensi animi, atque arrecta juventus.
Convenere omnes. Tumulo Susanna virenti
Explicuit manibus velum, quod miserat alma
Parthenis, hesternum munus. Quae vicerit, inquit,
Hoc Mariae peplo cingat sibi tempora, sed dein
Restituat post tres soles memor, atque rosarum
Dona dabo innexam philyra violisque coronam.
Inde alium, juvenes, ludum celebrabitis; ipse
Praemia, ait Jonas, victori pocula servo,
Pocula plena mero. Praecedite rite, puellae.
His dictis festus sublatus clamor ad auras,
Injectusque alacris furor, et nova gaudia cunctis.
Pratum erat, et salices inter longissima visu
Semita lata virens, longeque erecta sub auras
Silvestris morus, cui quae prior oscula ferret,
Atque manu viridem ramum divelleret, illa
(Sic statuunt) roseum sertum et velamen haberet.
Ergo locis pariter captis Alphaeus utrisque
Percussis manibus signum dedit. Ilicet omnes
Effugiunt nimbo similes, studiisque juventus

V. 382. Edit. Veneta: Quae socias cursu valeat praevertere, habebit.
V. 394. Edit. Venet. pro. alacris l. alacer.
V. 396. Edit. Venet. pro lata l. utrinque.

Instigat variis: urge vestigia, Rachel,
Te Damaris propior jam jam tenet: Hei mihi! rhamnus
Vestibus implicitus; Zambrim fuge, Dina, sequentem:
Perge alacris Juditha prior. Sonat undique laeto
Circumjectus ager strepitu, vocesque per auras
Congeminat nemorosa echo. Verum omnia pastor,
Pastor amans Nymphae, nimiaque cupidine flagrans
Turbavit Daniel ausis agrestibus. Ille
Juditham sibi promissam, qua pulchrior ulla
Non erat aequali in coetu, praecedere cursu
Ardebat; studiisque et nisu corporis omni
Incumbens, votis oculisque impellere euntem
Instabat; sed postquam ultra perducere posse
Non aliter videt, heu! Damari nil tale timenti,
Heu lassae, quae jam metam prope anhela tenebat,
Vicino e rivo faciem vestemque capillosque
Irroravit aqua, et festum maculavit amictum
Reticulumque, et syrma novum, calceosque nivales.
Illa furens animis sorbum, quod forte gerebat,
Conjicit in caput invisum toto impete, multa
Vociferans, oneratque probris, et fuste reperto
Nequicquam insequitur: dumque iras luctibus explet
Femineis; raptum interea Juditha redibat
Ostentans manibus ramum. Non liber habenis,
Effusisque jubis tanto redit impete victor
E stadio Massylus equus, plausu incitus, ardens,
Ut campos fugiens niveis quatit illa cothurnis,
Crinibus in ventum sparsis. Sed virgo secuta
Aemula par zephyris, et denique crine prehensam
Injectaque utraque manu tenet, atque virentes

---

V. 410. Edit. Veneta: Turbavit Daniel. Hic primo in flore juventae
V. 422. Edit. Venet. legit: Conjicit in tergum fugientis plurima frustra
V. 428. Edit. Veneta: E stadio Massylus equus, non Parthica arundo,

Multa reluctanti frondes rapit; inde citato
Ipsa prior cursu redit, et sibi debita dona
In medio coetu exclamat, sparsique recentes
Deplorat maculas rivi. Sed et altera plorans
Sublatum repetit ramum, atque humeralia scissa,
Et laceras queritur vittas: atque hinc pater Ammon,
Inde utramque bonus dictis compescere Jonas.
Quin et ridiculus Nabal se gutture pingui
Arbiter in medio statuit; quem plurima fantem,
Qua peponi agresti par struma excreverat ingens,
Ambabus Damaris repulit facto impete palmis.
Labitur ille putre in stagnum resupinus, ut ipso
Margine constiterat lubrico. Risere cadentem,
Nec sese tenuit Juditha, nec altera, coeno
Ut videre atro emergentem, quem excita circum
Turba canum insequitur lutulentum, et, qua fugit, anser,
Atque anates raucis quatiunt clangoribus alas.
Hinc paulum sopiti ignes, et fractior ira:
Mitior hinc animis furor, et pax deinde secuta.
Concordes junxere manus, et foedere justo
Res ita composita, ut victrix Juditha referret
Praemia: sed moestae Damari promisit in aurem
Debbora partheniam chlamydem solatia victae.
    Sed non hic finis. Lis altera deinde secuta,
Inque repentinum subito versa omnia luctum.
Stabant intentae matres, et virginis auream
Cervicem textis ornabant floribus. Illa
Namque acubus fixis accommodat; altera subtus

V. 445. Edit. Venet. pro lubrico l. propior.

V. 458. seqq. Edit. Veneta:

Stabant intentae matres, et virginis una
Circum omnes texto cingebant tempora flore.
Illa acubus...

Virgineum peplum nodo implicat; altera flavos
Educit crines; haec denique corrigit omnia,
Atque aliter crines et velum et serta reponit
Florea: nec finis tricis muliebribus. Ast heu!
Heu Daniel miser! heu miserae qui praemia nuper
Abstuleras Damari! Nunc sacro denique velo
Clausa, inter veluti nimbos argentea luna,
Ut stetit in medio tua Judith compta amarantis,
Et vernis redimita rosis; heu non tua Judith
Amplius, heu sponsum, heu thalamos aversa repente,
Et tedas exosa fugit, pactosque hymenaeos,
Conjugiumque palam, et veteres detrectat amores.
Nequicquam mater, nequicquam caetera turba,
Atque avia, atque soror dictis lenire furentem:
O gnata, o miserae dolor, et spes vana parentis!
Unde odia? unde irae? et subita haec insania mentis?
Ipse amens pastor flens, atque in genua volutus
Crimina scitari lacrimans, veniamque precari.
Aspera sed virgo, dictis haud mollibus, alto
Abnuit ore minax: quantumque miserrimus ille
Obsequiis ambit, tantum illa ferocius arcet.
Dein versa ad matrem, thalami jam desere curas
Hinc, ait, o genitrix, lacrimisque absiste precari;
Nam mihi Carmeli sacra inter culmina florem
Virgineum, atque aevi illaesum servare pudorem
Est votum: hanc certam injiciunt mihi sidera mentem.

---

V. 465. Edit. Venet. pro heu miserae l. immeritae.

V. 470. Edit. Venet. pro heu thalamos l. thalamosque.

V. 476. Edit. Venet. pro et subita haec l. subitaeque.

V. 484. Carmelus Palaestinae promontorium ad meridiem Ptolemaidis Eliae prophetae commoratione celebratum, in quo complures cavernae inveniuntur, in quas nullo non tempore solitarii se receperunt. Amos 9, 3. I. Regg. 18, 19 seqq. II Regg. 2, 25. c. 4, 25.

Tum vero infelix sponsus quatiens pede terram,
Et scissa endromide et chlamyde, abjectoque galero,
Ingratam, immemorem, infidam, agrestemque vocare,
Premia cui ludo victae nil tale merenti
Heu demens tulerat: nunc donis nempe superba
Promissos fugit illa toros. Furit improbus amens,
Et nisi vi teneant conantem solvere capta
Brachia, forte ruat praeceps moriturus in amnem,
Aut sanctum properet manibus rescindere textum:
Tantus agit caecam furor et vesania mentem.
At non passa diu tristes mitissima Mater,
Nec donis turbare suis solatia ruris.
Audiat haec, exosa domum, siqua innuba virgo
Nubere caelesti sponso velit: audiat illa
Cui thalamo felix, cui sese obstringat amanti.
Forte in secessu viridi, dum talia fervent,
Tres pueri teneri atque boni, qua carpinus ingens
Floruerat, summo speculati in vertice nidum
Lusciniae jactis glebis saxisque per auras
Dejicere instabant; parvis tamen irritus omnis
Jamdudum conatus erat: cum visa repente
E latebris silvae ante oculos pulcherrima imago,
Incessu prorsus gestuque habituque Maria.
Illa erat, illa manu Puerum de more trahebat;
Seu visa in speciem tantum, seu vecta per auras
(Quidquid id est) medio coram nitidissima luco
Substitit, arridensque suo de more locuta:
„O pueri, teneros haud fas convellere nidos,

---

V. 492. Edit. Venet. pro amens l. ira.

V. 503. seqq. Edit. Veneta:
Tres pueri summo speculati in vertice nidum
Lusciniae appensum ramis, qua carpinus ingens
Floruerat, jactis glebis saxisque per auras

Atque suos miserae matri subducere foetus,
Quos illa instruit ad cantus; nam deinde solutis
Illi etiam linguis, cantu nemora avia mulcent."
Huc, ait, et positis saxis accedere coram
Improbulos, coenoque manus abstergere jussit;
Eduxitque sinu tria persica, et oscula rite
Ferre prius manibus docuit; primumque Manassi,
Tum Jonathae, Phineique dedit: dein jam fugientes
Acceptis donis, cupidos ostendere, rursum
Ad sese revocat, prohibensque ea laedere morsu,
Ferre intacta jubet: Vestris 'et matribus, inquit,
Si vos forte rogent, Maria haec Jesseia nobis,
Dicite, dona dedit; gravibus jam libera curis
Huc reditura brevi. Memores hoc deinde tenete:
Dicite Juditham mihi servent, quam meus Infans
Vult castis thalamis jam nunc sibi nubere Jesus.
Audistis? Juditha meo desponsa Puello est:
Hic meus, hanc, inquam, sibi nuptam destinat Infans.
Sic instat, nomenque iterum, et mandata reposcit,
Ut memores servent, recitentque fideliter omnia;
Et plaesas voces, semesaque dicta reformat.
Tantaque simplicitas erat, ut jam ferre docentem
Praecupidi haud possent: Ite ocius, ite, puelli.
Ocius exiguos per culta virentia gressus
Accelerant laeti; procul et clamoribus altis
Dona manu ostentant: Maria haec pulcherrima donat:
Mirantesque adeunt matres, gremiisque reponunt,
Et Mariam quandam, haud sibi notam, haec pulchra dedisse
Munera. Ubi? qualis? quaenam? rogat undique circum
Anxia turba. Illi vestes describere et ora,

---

V. 515. Edit. Veneta:
Atque suos matri per vim subducere foetus.
V. 526. Jesseia. I, 204.

Et digitis monstrare locum, et promittere certos
Quamprimum in patriam reditus; atque insuper addunt
Juditham Jesu desponsam, hanc nubere certis
Promissis Puero. Tum facta silentia linguis,
Injectusque pavor, sopitaque jurgia amantum.
Illico deproperant certatim e colle virenti
Praecipites, ducibus pueris. Ubi vero? ubi visa?
Solliciti intentique rogant. Illi omnia circum
Vestigare oculis: Hic primum objecta Manassi,
Hic erat. Ast illic jam fons argenteus unda
Stagnabat vitrea; violaeque, rosaeque marinae
(Sic Itali appellant albas) cernuntur in herba.
Illa tamen nec per salices quaesita, nec inter
Pineta et larices, iterumque iterumque vocata
Ulli usquam responsa dabat. Viden', Ismaris, illam!
Eccilla! At subito ex oculis evanuit: at mox
Visa iterum tilia super alta: at visa refugit.
En rursum in stagno! Rachelis sed fuit error;
Namque erat in nube, et vitreo apparebat in amne
Nec deinde ulterius visa ulli. At territi agrestes
Collectis cedris silvestribus atque ligustris
Juditham Jesu desponsam rite sacrabant,
Ignari quanto se nomine tollet ad astra
Bellatrix quondam; quantum feret ardua palmas
Juditham super antiquam; quaeque inclita rerum
Hinc series oritura ingens, Jesseia postquam
Parthenis in patrios remigraverit alma penates.

---

V. 569. Juditham super antiquam scil. filiam Merari celebrem ob liberatam, quam Holofernes obsidebat, Bethuliam. Cfr. libr. Judith.

V. 570. Jesseia. Cfr. lib. I, 204.



# LIBER SECUNDUS.

## ARGUMENTUM.

**Virgo ex Aegypto redux in itinere ab Angelis convivio excipitur. Patrios colles subeuntem vindemiatores longe prospiciunt. Oppidani admoniti obviam exeunt. Domi Susannae excipitur; inde paternas aedes subit. Puero, Matri, et seni nutritio felices somni nocturno cantu e coelo devocantur.**

Candida jam coelo reparabat cornua Phoebe,
Spiciferamque manum radianti proxima soli
Erigone stellis gemmatam absconderat axe,
Cum laeti auguriis tandem caelestibus almae
Nazarii adventum Divae sensere propinquum.
Scilicet haec illis reditus certisima signa
Discedens dederat Jonas: Tria lilia quando
In Mariae specula niveum de cespite florem
Protulerint, coelo lunas exinde recentes
Observate, inquit; bis tertia namque reducet.
Lilia vernarant, bis tertia lunaque primum
Clara inter roseas visa est argentea nubes.
Et jam Diva Parens Mareotica regna relinquens
Caelesti monitu, saevi post fata tyranni,

V. 1. Phoebe (Diana) soror Apollinis sive Solis, i. e. Luna. Virg. Georg. I, 431.

V. 3. Erigone sidus, quod Virginis appellatur. Hyg. fab. 130 et 254. Apollod. III, 14. 7.

V. 13. Mareotica regna. In Aegypto erat Marea s. Mareotis lacus: inde Mareoticus idem quod Aegyptius.

V. 14. Caelesti monitu. Matth. 2, 19.

Cum sene cumque suo tandem expectata Puello,
Nazareos laeta in colles atque arva redibat.
Olli puniceis interflaventibus ambit
Texta umbella comas paleis, et tempora inumbrat,
Coccina quam propius substringit taenia nexu:
Obliqua ex humero descendit janthina zona,
Qualem fusca genas et multo torrida sole
Singario veniens e pago Aegyptia mater
Ferre solet: niveos cyclas tegit ima cothurnos:
Fraena regens senior custos it praevius: ipsa
Foemineum in morem vehitur, nigrosque capillos
In spiram tortos mundissima lina coercent.

Silva fuit tamarice virens elatisque recurvis
Palmarum, torto qua scrupea calle nitentem
Exigui laticis ducebat glarea venam.
Haud procul inde Cison it campis murmure rauco,
Praetextus glaucis cannis limoque palustri,
Laeta Palaestinae per pinguia culta volutus.
Hic fluvii haud procul a ripa sub colle virenti
Bisdeni alati juvenes nemus inter opacum
Floriferam mensam secreta in valle pararant
Parthenidi et nato: opportunaque tempora nacti
Ramorum e latebris laeto clamore repente
Erupere. Dolos timuit deprensa viatrix
Extemplo: risit caelestis Populus: ipse
Improvisum epulum, senior, distentaque in herbis
Candida lina stupes. Circumfusi undique ephebi,
Pars onere infantis longo relevare parentem,
Quadrupedis pars fraena manu prensare fugacis,

---

V. 22. Singara (orum) urbs Mesopotamiae in ripa Tigris. Plin. 5, 24,

V. 30. Cison (*Κισών*, hodie Mokata, Mekatta) Palaestinae torrens, qui in vallem Esdrelon, ac deinde ad Acci (Ptolemaidis, St. Jean d'Acre) portum in mare medium defluit. Judd. 4, 12 — 14. c. 5, 19. 21.

Sarcinulas servare alii. Mitissima Virgo
Officiosa queri, superum se fraude petitam,
Se circumventam; simul interiora subibat
Frondentis silvae, qua subterlabitur alnis
Hinc atque hinc torrens. Illic gratissima lassis
Parta quies paulum, et viridi mora dulcis in umbra.
Crinibus alludunt Zephyri, strepit undique pennis
Pictarum volucrum festus chorus, anthuli, alaudae,
Ardeolaeque, canarinique. At rite ministri
Dant manibus limphas; alii mantilia tonsis
Expediunt villis: alii cerealia liba,
Mora, oleasque ferunt. Magno prius alma Parenti
Attollens oculos purasque ad sidera palmas
Libabat Regina dapes: quas ordine pulchro
In niveo alabastrite, inspersis amarantis
Desuper effusisque crocis et amaraco odoro,
Imponunt famuli, lac pressum, cerea pruna,
Et mella, atque suis adopertas frondibus uvas.
Haec cernens limis oculis terterrimus Orci
Rumpitur invidia genius malus. Inter amoenae
Anfractus vallis procul observarat euntes
Jampridem scopulos circum, et juga celsa pererrans
Capripedi Satyro similis: nunc anxius amens
Circum ibat nemus, ut mensam qui olfecit herilem
Villosus canis, at metuens oleagina tergo
Verbera, stratus humi lances patinasque tuetur,
Hinc atque hinc mota fallens jejunia cauda:
Haud aliter Stygius lustrabat singula gurges,

---

V. 45. Superum scil. Daemonum. In epistola ad Ephes. 2, 2. Diabolus (Satanas) quodammodo in aëre dominatur, et in inferiores daemones principatum exercet.

V. 59. Edit. Veneta:
Effusisque crocis, adianto et amaraco odoro,

Exertans oculos, nunc hac, nunc pervagus illac.
Audit ebur pulsasque fides, ceu bubo, canoras,
Ante ortum solis collectis horridus alis,
Contemplatur aves: audit, mortalibus arces
Sidereas, legio unde olim dejecta rebellis,
Servari, his patrias sedes, his regna parari;
Intenditque animos, arrectisque auribus adstat.
At circum erranti et per ramos cuncta tuenti
A tergo alatus fidicen cornu inter utrumque
Barbiton infregit medium, quod forte gerebat:
Nam tibi quo, petulans, aditus? ten', lurida pestis,
Huc inferre? Apage hinc citius procul, heluo. Vento
Ocior ille fuga pedibus quatit arva bisulcis,
Tuta petens; summi scandentemque ardua montis
Cernere erat pavidum, celsa de rupe tuentem,
Atque utraque manu plagam cervice tegentem.
    Inde iter ingressi accelerant. Strepit aethere aperto
Laeta phalanx, pennisque supervolat, arvaque inumbrat.
Pars florum manibus plenis effundere nimbos
Virginis alba super velamina: pars pedes ire:
Ille equitat croceas nubes, hic cruribus exit
E mediis nebulis, hic summis prominet alis:
Mille alii variis nectuntur in aëre nodis.
Sic peregre incedens patriis pulcherrima campis
Virgo propinquabat, vultu allatura beato
Solem improvisum insperataque gaudia ruri.
    Tempus erat, quo laeta novo gens munere terrae,
Grandinis atque austri immunem illaesumque pruina
Frugiferis e vinetis in rustica tecta

V. 73 — V. 78 incl. in Edit. Venet. non leguntur.
V. 100 seqq. Editio Venet. legit:
Autumnum plaustris, et sera legumina vertant
Frugiferis e vinetis in rustica tecta.
Jamque fere medio octobri vindemia circum

Convehit autumnum plaustris ingentibus. Et jam
Plus medio, ut solet, octobri vindemia ferme
Exacta in campis fuerat: restabat apricus
Azariae collis, quo se gens rustica brochis
Atque uncis tulerat cultris, confertaque passim
Vimina erant nigris uvis: sonat omnis agresti
Laetitia et cantu clivus. Cum raucus arator
Auditus procul e sulcis intendere vocem
Ingentem, et monstrare manu quiddam eminus: Heus o!
Vos, inquit, Mariae redeunti occurrite; namque hic
Bos cornu petit, et nequeo discedere. Sed vox
Tam procul audiri haud poterat, frustraque per auras
Itque reditque idem venoso e gutture clamor.
At Jerichunta emensa oculis late undique campos,
Atque arcens manibus phoebeïa spicula utrisque,
Per callem exiguum vix multo in lumine solis
Agnovit reduces, intentoque indice matri
Monstravit Zebidae, haec Miriae atque Orphae, Orphaque Osiae,
Atque hic Romeliae, haec Liae (sed non tamen illam
Credere vult Jonathas): „illa est, illa, inquit Elisa,
Quam te ego praesentem video." „Quo pignore certas?"
„Quo tu cunque velis:" signabatque indice certo,
Nec jam amens animo poterat, nec colle teneri.
Interea observant alii, qua Silvia monstrat,
Silvia Idumaeas inter pulcherrima nymphas,
Intentisque oculis et hiulcis oribus adstant.

---

V. 104. Brochus a graeco βρόχος, retinaculum, quo vindemiatores utebantur, significat etiam vas vinarium. Edit. Venet. emendans legit bennis.

V. 114. Jericho in tribu Benjamin inter Hierosolymam et Jordanem urbs palmarum (πόλις φοινίκων) dicta (Deut. 34, 3), agro admodum fertili gaudebat. Strabo lib. 16. Plin. H. N. 5, 14.

V. 125. Idumaeas. Cf. lib. I, 84.

At pueri jam praemissi garritibus altis,
Illa est, unanimes geminant: illa, inquit arator,
E sulcis iterum clamans. Tum protinus altis
Decurrere jugis, cistis in colle relictis,
Viscatis manibus raptim ad femoralia tersis.
In corbem praeceps Zabulon, in mulctra Barucchus
Prolapsi, atque agiles iterum (tanto impete oborta
Gaudia) deproperant laeti. Quis murmura vero
Explicet et voces vultusque hilaremque tumultum?
Illam omnes in tecta sequi velle: at bona mater
Id vetat, et qualis vindemia quantaque laeto
Ore serena rogat, comitari iterumque volentes
Abnuit omnino. Tamen uvas rite ligatas
Et puer et custos et formosissima Virgo
Quisque suas manibus gratissima dona ferebant.
    Hinc iter accelerant. Mater blandita puello
Purpurei autumni donum sibi laeta poposcit.
Ille dedit, manibus sublatum munus utrisque
Ostendens. Dictu mirabile! Juncta racemo
Improvisa ceres mixtis flavebat aristis,
Quale amethysto aurum nexum insertumve pyropis.
Obstupuit genitrix: unde haec, unde aurea messis?
Cui puer: Hac olim gemina sub fruge, cruento
Jam propior letho, instituam solemnia sacra,
Atque utroque tegam Numen mirabile velo.
Nec plura: attonitam dictis trepidamque reliquit.
    Corripuere viam, qua multo semita girat
Autumno dives. Dextra laevaque frequentes

V. 131. Femoralia i. q. tegumenta femorum. Isid. Or. 19, 22.
V. 138. Edit. Venet. pro comitari iterumque legit: comitesque anteire.
V. 149 seqq. Confer Matth. 26, 26 — 29. Marc. 14, 22 — 26. Luc. 22, 14 — 20.
V. 142 — 152 in Edit. Veneta non leguntur.

Juglandes prunique humilique ex arbore ficus
Consertis ramis, praetexunt undique callem.
Cernuntur veteres turres atque oppida longe,
Immensum camporum aequor nemorumque recessus,
Auditurque fragor torrentis, quem cava subtus
Vallis agit per semesae declivia ripae:
Hinc iter in patriam nemoroso tramite villam,
Quam sol purpureo devexus lumine inaurat.

At pueri interea, quos non retinere potestas
Ulla fuit, raptim celeres in tecta volarant,
Aegre animam prae laetitia cursuque trahentes,
Nuntia laetitiae pubes. Volat illico fama;
Fit clamor tectis; Mariae evulgata propinquae
Nomina laeta sonant: strepit omnis murmure pagus.
Ad Deboram Samuel, ad Saram devolat Esther,
Contiguam Zambrim foribus Susanna vocabat;
Haec specula ex alto Sulamitim, haec laeta fenestris
Ore exerto Amarim: Jessea puella, sodales,
Clamat, io! reducem jam nuncius alter et alter
Retulit. Exoritur clamor, variaeque vicissim
Scitantum voces: sed et ipsi cruribus hirtis,
Audito strepitu, lacubus qui vina premebant,
Attoniti cessant, et quae nova gaudia poscunt,
Prodibantque rubro depicti corpora musto.
Jamque iter accelerans processerat obvia campis
Susanna, huic Judith comes ibat, pulchraque Elisa.
Nec longum in medio tempus, cum visa per ulmos
Perque humiles vites herboso incedere clivo,
Pomiferos inter peregrina Puerpera ramos.
Agnovere procul vestes, lacrimasque dedere:
Mox plausum ingentem tollunt, quo personat aether
Et circumjecti colles vallesque resultant.

V. 172. Jessea puella. Cf. I, 204.

Exiguum restabat iter, spatiique, quod usque
Nazareum ad pagum superest, absolvere Virgo
Vult pedes: arreptis fraenis deducere asellum
Inter se pueri certant: Judithaque pulchrum
Implicitum manibus Jesum trahit: ipsa sodales,
Mirantesque inter pergis, Jesseia, matres,
Respirans placide, atque oculos per singula ducens,
Sustentans manibus vestes, qua semita aquosa est.
Sarcinulas humeris Jonathas gerit: obvia passim
Armenta occurrunt agrestumque agmina. Jamque
Apparent humiles muri turresque vetusti
Oppiduli vestitae ederis, antiquaque tecta,
Quae procul agnoscis, Senior bone, flensque salutas.
Ipse diem nollet jam seram absolvere Phoebus
Tam cito, deque suo dolor est descendere curru,
Atque utraque manu roseos tenet axe jugales.
Ast ubi Susannae bona Virgo evasit in aedes,
Hic fragor, hic strepitus, amplexus, oscula mille,
Mille hilares voces, mixtumque sine ordine discors
Undique murmur erat. Nec viso litore nautae,
Nec genitrix nato, nec conjuge nupta recepto,
Quem bello, aut pelago extinctum miseranda putarat,
Nec quidquid possunt laeti sibi fingere noctu
Insomnes vates, aequare haec gaudia possint.
O tandem post secla redux! o denique sospes
Reddita lux orbae patriae, expectata tot annis!
Ut formosa redis nil coelo decolor illo!
Quae via, qui cursus, quae sors inopina revexit?
Ecce humeris curvis octogenaria conjux
Alphaei explicitis ulnis edentula voces

---

V. 194. Edit. Veneta:
Sustentatque manu vestes, qua semita aquosa est.
V. 208. Ed. Venet. pro miseranda legit: decepta.

Non intellectas labiis conatur utrisque,
Et gnatam (sic illa vocat) complexa fatigat.
En Beroe, en veniens e torcularibus Abra,
Musta recentia utraque manu laetissima portans,
Cui puer hinc Ammon, hinc Ruben vestibus haerent.
Mox Debora ascensu subit improvisa repente,
Ingenti clamore ruens in colla, lacertis
Injectis haerens non extricabilis: ipsa
Candidior nive Cissa latrans formosa catella
Agnoscit reducem, et circum mille implicat orbes,
Et vestes scalpit, genibusque audacula reptat.
Utque animam Debora assumpsit: Mella, inquit, in horto
(Attraxitque auram toto ore et pectore anhela)
Mella, inquam, e ceris dum seligo, nuncius Helis
Te advenisse tulit, mea lux; huc protinus amens
Advolo; sed fari vix possum, namque cucurri
Praepetibus cervis, et fulminis ocior alis.
Ut tandem amplector! Quae sors, dulcissima rerum,
Quae reducem fausta aura tulit? nam patria nunquam
Oppida visuram, et prorsus mutasse Canopo,
(Me miseram!) hos agros et tecta antiqua putaram.
Ut te versicolor decet haec Aegyptia palla!
Hiccine Niligenis cultus habitusque puellis?
Te sinito huc paulo propiorem in luce videri.
Haec inter festus sublatus clamor ad auras,
Illataeque faces, et lux face pulchrior omni:
Namque aderat pulcher Jesus Samuelis in ulnis,
Atque una longaevus Amos, et vertice glabro
Nathanael; veteres Joseph quos inter amicos
It lacrimans; interque manus pulcherrimus Infans
Stabat, ut in mediis nivibus rosa nata decembri

---

V. 236. Canopus. I, 68.
V. 239. Niligenis. Cf. I, 51.

Quam circum canae glacies mirantur et imbres
Vernantem, nec duram hiemem nimbosque timentem.
Hinc Bethsabaea, hinc Rachel, et Silvia ridens,
O quae bella humero vestis niveique cothurni!
Quae manus haec nevit, quae licia candida torsit?
Ille ori digito inserto placidissimus adstat,
Nec pavet hirsutum mentum Samuelis, et horrens
Brachia circum, semiadapertaque pectora linum.
At satis est, matres, satis est: discedere lassam
Jam sinite in patrias aedes: nam tempora fando
Haud deerunt: sic Beris anus, sic Debbora dictis,
Sic jubet ore gravi Samuel; nam sistere votis,
Nec precibus potuere ullis, facibusque praeibat
Iuditha, inque diem (ne quicquam, Diva, recusas)
Debbora jam statuit convivia festa sequentem.
Talia Virgo tulit patrio solatia ruri,
Post noctem obscuram, suspiria votaque multa,
Mercedem luctus primaeque crepuscula lucis.
Nox ruit. In nidis volucres, in frondibus aura,
Ipsa etiam ripis stagna acclinata quierant,
Et dormire putes, pictasque in gurgite stellas
Esse quiescentis nitidissima somnia limphae.
Cum levis in nimbo delapsa volucribus alis
Laetitia in terras stellato ex aethere venit:
Cui comes ille ciens animos, et pectora versans
Spiritus, a capreis montanis nomen adeptus,
Ignotum Latio nomen; pictoribus ille
Interdum assistens operi, nec segnius instans
Vatibus ante alios Musis gratissimus hospes.
Pastor erat Didymus, qui quondam captus amore
Caelesti sese comitem sociumque puello
Addiderat Jesu. Is ventos praedicere doctus,

V. 273. Vulgo Capriccio.

Quidve obitus ferrent varii, astrorumque meatus,
A strepitu procul et turba silvestribus annos
Egerat intentus calamis, haud noxius ulli.
Felix, cui vigiles nondum prudentia curas
Attulerat veniens; quin rerum incuria et ipsa
Inconstans mens et vaga conciliarat amorem.
Huic levis in noctem jam seram Spiritus ille
Laetitiae comes insiluit; quo plurima secum
Ibat agens animis, insueto percitus oestro.
Namque injecta hilaris mens improvisa: sub ipsis
(Cogere si posset sociorum plectra) fenestris
Virginis instruere ad citharam melos; atque sereno
Hospitibus fessis coelo deducere somnos.
Sed quid tum poterat? quos importunus adiret?
Aut pulsare fores obscura auderet in umbra?
Ecce autem, vario secum dum fluctuat aestu,
Ecce, inquam, socii vates, quos entheus idem
Spiritus excierat. Citharas hic vertice eburno,
Ille lyram ex ebeno, hic sistrum, sua munera quisque,
Delicias atque agrestum intervalla laborum
Attulerant secum. Non gratior ulla voluptas,
Quam quae improviso condicta, ex tempore nullis
In longum trahitur dilata ambagibus. Ergo
Una omnes pariter per opaci compita ruris,
Quo furor immissus, quo mens incensa vocabat,
Elpinus, pastor Ligus, Alcindusque secuti,
Montanusque (haec nomina erant; sed Montius iste,
Hic Magius vulgo dicti, Pastorius ille,
Hic Lemene) papaveribus sertisque rosarum

---

V. 283 — 286 in Edit. Veneta desunt.

V. 294 inter et 295 Edit. Venet. interserit:

Haeret inops animi, mentemque per omnia versat.

V. 301. Edit. Venet. pro ex tempore l. acceptaque.

Et violis crinem praecincti: nec mora. Postquam
Ventum est stellato sub dio ad limina nota
Summissim inter se primum, intentique canoras
Auribus explorant chordas, tenduntque remittuntque
Ad numeros calami certos. Cunctisque paratis
Dum quisque officiis certat, primusque recusat
Rumpere prae reliquis nocturna silentia voce;
Ipse canam, finem positurus, Didymus inquit:
Nam vereor, si forte puer vos candidus ille
Audiat, haud unquam vigilantes claudet ocellos;
Usque adeo vestras dulce est audire camoenas.
Insidiatricem venatricemque soporis
Fabellam meditor, quae taedia languoremque
Paulatim insinuet. Simul ergo per aëra somnos
Videritis coelo delapsos, illico nobis
Cessandum; inque humiles nullo clamore fenestras
Cogendi belle. Facile est agnoscere: plumae
Sunt humeris variae, sunt alba papavera circum
Tempora, populeosque agitant sine murmure ramos.
His ita compositis per opaca silentia pastor
Concordes inter citharas sic ora resolvit:
a) Humanus peragrabat Amor sine viribus, aeger
Jamdudum: furtim namque ille comederat horto
Aurea poma, latens quae forte infecerat anguis:
Optabatque miser quiddam, nec quid sibi vellet,
Infelix norat; sed erant medicamina quaedam,
b) Quae tamen haud ullis poterat conquirere terris.

---

V. 317. Edit. Veneta: Nam vereor, si forte puer vos ille canentes

V. 319 inter et 320 Edit. Venet. ponit:

Ipse autem, quantum rauco modulamine possum,

a) Amor humanus aeger. (Adnotationes, quas sub lit. a) b) etc. inferimus, ipsius Cevae sunt).

b) nusquam invenit remedia.

Venit ad auriferum Gangem, sed acerbior inde
Facta sitis, rursumque Tago sitis altera crevit.
Sedit Erythraeum ad pelagus, sed littore conchas
Dum teneris aperit digitis, digitum una momordit,
Quem laesum intorto religabat taenia filo.
Venit et in Cypron lassus. Quid singula narro?
Nullum erat in terris aegro solamen Amori.
O miser, ignarus quae pars tibi cognita nondum
Terrarum profugo restet! Tibi restat Idume:
Haec regio, hoc coelum, haec certam feret aura salutem.
c) Venit Idumaeas tandem.... (subsistite paulum;
Nam quiddam, instar avis, visum est considere opacos
Hosce inter ramos. Sopor est pulcherrimus: et mox,
Spero, alios pariter deducam in retia cantu)
Venit Idumaeas tandem, inquam, fessus in oras,
Jordanemque bibit: dumque agris devius errat,
Lamentisque vias, atque auras questibus implet;
Illum moerentem vidit pulcherrima mater,
d) Coelestis pueri mater, tenuitque fugacem,

---

V. 336 seq. Edit. Veneta: Venit ad auriferum Gangem, sed acerbius inde Aucta sitis,

V. 336. Ganges (Γάγγης) maximus Indiae fluvius, qui ulteriorem a citeriore India disterminat.

V. 337. Tagus (Hisp. Tajo, Lusit. Tejo) Hispaniae et Lusitaniae fluvius, qui ad Ulyssiponem urbem in Oceanum influit.

V. 338. Erythraeum pelagus i. e. mare rubrum Arabiam inter et Aegyptum.

V. 338. seq. Edit. Venet. pro conchas l. in ipso: et pro teneris l. conchas.

V. 341. Cyprus et Cypros (Κύπρος) insula magna maris mediterranei.

V. 344. Idume. Cf. I, 34.

c) Venit ad Jordanem.

V. 351. Jordan (descendens) fluvius Palaestinae celeberrimus, qui ad radicem montis Antilibani oritur, et in lacum Asphaltitem (mare mortuum) exit. Cfr. Bachiene Palaestinae descriptio. Vol. I. P. I. §. 50 — 62.

d) a Maria hospitio excipitur.

Plorantique dedit bellaria: verbaque dixit
Blanda adeo, dulcesque minas adjecit, ut ille
Captivum dederit sese; subiitque penates,
Assuevitque puer lacti mellique; nec auro
Sortem hanc, nec gemma quavis pretiove dedisset.
Hic aeger passus curam est, hic jungere utrasque
Edidicit palmas ad solem versus eoum,
e) Curvatis genibus supplex; hic denique lenta
Sensim convaluit febri... (subsistite rursum;
Nam tecto insedit, ni fallor, penniger alter
Somnus; at exiguus latet, et vix prominet alis
Undique stellatis: superest nunc tertius; at mox
In viseum veniet) febri, inquam, denique lenta
Sensim convaluit: sed quam brevis, ah! fuit ista
Parta salus, miserande puer, mox, heu! moriturus
(Aspera nam sic fata volunt) moriturus acerbo
Funere. Namque aderat sub eodem paupere tecto
Alter Amor, sed coelestis, sed natus olympo;
Terrestremque illum dedignabatur eodem
Sub lare, quippe levem, cui vox, cui mellea tantum
Vis inerat verbis, sed nullae in corpore vires.
f) Ergo aliquando miser fando dum plurima jactat,
Ut solet, atque alium vocat in certamina demens,
Seu lusus, seu lucta fuit, (quidquid fuit) ictu
Stratus humi cecidit; nec profuit illico vitam
Poscere, nec cubito manibusque avertere vulnus;
Vulnus atrox lethale imo sub pectore fixum est,
Nec lacrimae, gemitusve ulli valuere precantis.
Saucius ergo, aegreque trahens vestigia, tecto
Successit, jacuitque toro; sed amabilis illa

---

e) convalescit.

f) Sed ausus provocare divinum amorem ab eodem vulneratur.

Plaga erat, atque adeo dulcis, ut ferre medelam
Nollet, nec rivos calidi retinere cruoris,
g) Nec fomenta pati: donec cum sanguine vires
Paulatim exanimes abiere, exhaustaque vita est.
Ah puer! ah! jaculis quis te concurrere, demens,
Talibus incautum traxit non viribus aequis?
Accipe nunc, quae non sentis, solatia mortis.
Nam pulchram ut vidit faciem, et fera vulnera victor,
Effudit lacrimas: implevitque astra querelis,
Incubuitque super, dixitque tenerrima verba.
Dumque sinu toto fovet, et dum brachia collo
Injicit, atque arctis tenerisque amplexibus haeret;
Tam valide exanimem pressit, sic membra lacertis
h) Frigida strinxit, ut e geminis amor unus et idem
Extiterit pueris. Sic terris irrequietum,
Humanis rebus lassum, misereque vagantem,
Diva, trahis nostrum mira dulcedine amorem,
Aegrum quem reficis blande; mox viribus auctus
Paulatim exuitur terrenis sensibus: inde
Evadit coelestis amor. Jam ponite plectra:
Fabellam cecini; nec fas producere carmen.
Nam bene si video in tenebris, tandem ultimus axe
Labitur ecce sopor nitidis argenteus alis.
Jamque omnes gradiuntur humo; jam tecta volatu
Sacra petunt: jamque ille Senis frontem insilit; alter
Lucentes digitis tibi, pupe, resignat ocellos:
Ille utraque manu furtim nivea ora parenti
Obtegit a tergo. Tranquilla silentia labris
Admoto digito subeunt: Genii nocturnas

g) Exuitur sensibus.

h) In Amorem divinum vertitur.

V. 410. Edit. Venet. pro lucentes l. plumiferis.

Lampadas extinxere omnes: tuque humida velum
Nox super extendis, procul et discedere mandas:
Namque horae sex nigricomae, quae somnia portant,
Somnia bella, ebeno textis inclusa canistris,
Haud inferre pedem nobis praesentibus audent.
    Pergimus: at vobis, vates, pro munere tanto
Hic Puer et Pueri custos formosaque Mater,
Supremus somnus cum sero advenerit, adsint.

---

V. 414 et 115. Edit. Veneta: tuque humida velo
Nox super extento procul hinc discedere mandas.
V. 417. Edit. Veneta: Somnia pulchra.

# LIBER TERTIUS.

## ARGUMENTUM.

**Daemon livore concitus bellum adversus Jesum molitur. Speculatores lemures mentito habitu Nazareth praemittuntur. Armilustrium instituitur in Perside. In conventu matrum praesente Virgine Daemon explorator detegitur. Deipara ab Angelo monetur, ut secedat cum puero in desertum d. Joannis Baptistae. Castra inferna in montes Abarim descendunt, atque ibi rixa exorta mox classe aërea daemonum delapsa bacchanal celebratur.**

Qualis formosum nivea cervice catellum,
Virgineo in gremio manibus quem comit eburnis
Foemina, sic meritum cernens dolet invidus, ore
Allatratque rudi turpis quandoque molossus,
Dilectus dominae ille etiam, cum candidus olim
Et tener et blandus fuerat, nunc vincula collo
Gestantem absterrent mensis, et postibus arcent:
Haud aliter Puerum coelestem dum videt hostis
Luridus, ipse etiam quondam, cum degeret astris,
Delicium coeli, ringit, totusque veneno
Livescit miser, et partes se versat in omnes,
Laedere si tenerum queat, atque absumere letho.
Quin etiam infelix jubet arma capessere vulgus
Taenarium, atque iterum superis indicere bella:

---

V. 14. **Taenarium.** Apud Taenarum, promontorium Laconiae (in extrema Peloponneso meridiem versus) orci introitus esse putabatur. Itaque taenarium vulgus idem valet, atque inferum sive orci vulgus.

Demens, qui rursum tentare pericula Martis
Ausit, et unde miser cecidit, se credere coelo;
Tartareum quamvis sceptrum soliumve tremiscat,
Indicioque Puer non uno extrema minetur.
Unde adeo incensus furiis huc turbidus usque
Praelia distulerit, causas evolvere ab alto
Longa foret series. Pharii namque arva Canopi
Ut primum tetigit Deus infans, illius omnis
Horruit adventum jam tum Mareotica tellus,
Oraque torserunt signa aerea, templaque passim
Traxere ingentes rimas; simulacraque mutis
Adventante Deo pressere oracula linguis.
Hinc rabies collecta ingens, semperque recenti
Clade auctus dolor et virus: centum acta sub Orco
Concilia: innumerae fraudes textae atque retextae:
Conscripti expunctique duces. Mens omnibus anceps,
An vates, an forte aliquis de gente supremi
Ordinis, an demum (quod non est credere) Numen
Humana lateat sub imagine. Nec minus acti
In diversa animi, quid agant, quibus artibus obstent;
Num simulent, num marte palam concurrere certent.
Ac veluti, prius abruptis quam nubibus imber
Praecipitet, longe clausum inter nubila raucum
It murmur, ventique fremunt, noxque ingruit atra
Paulatim coelum eripiens; et jam tonat axis,
Jamque cadunt guttae ingentes: tum denique fractus
Horrisono bombo ruit inter fulgura nimbus:
Haud aliter coecus furor, atque odia aspera tandem
Evasere modum; bellique obstacula rupit

---

V. 16. Edit. Venet. pro miser l. olim.
V. 17 et 18. omisit Edit. Veneta.
V. 21. Pharii Canopi. Cfr. I, 2. 68.
V. 23. Mareotia tellus. Cfr. II, 12.

Ille explorator quondam teterrimus, ausus
Os inferre epulis, reduci quas coelica turba
Virgini adornarat. Probro ignavissimus impar
Per deserta vagus Samareia, tempore longo
Abditus in silvis latuit: Stygiosque reversus
Postremo ad manes inhonorum in vertice vulnus,
Quod nemore in sacro citharista inflixerat Ales,
Ostendit coram; quaeque illic viderat, et quae
Audierat, retulit. Tunc imis atra medullis
Exarsit rabies, penitusque ignavia tristis
In flammas abiit: tum fracta repagula Ditis,
Tum sociis data libertas, patefactaque claustra,
Emissae furiae ex adytis, decretaque bella.
Principio lemures praemissi Nazareth, ore
Mentito atque habitu agresti, qui tempora nacti
Insidias struerent, atque explorata referrent.
Illi autem, ne quid male comptum turpia Averni
Proderet, his dictis menda erroresque monebant:
„Hanc tu cornigeram frontem melius nisi celes,
„Dignoscere statim; atque aliquis fortasse choraules
„Capripedi ut socio cithara tibi rursus ad aures
„Carmen idem recinet. Tibi vero haec bubula calceo
„Ungula se nimium prodit. Tu pellibus uncos
„Hos digitos: Tuque auriculas has obtege: Tuque hanc,

---

V. 47. Samareia. Samaria (Σαμάρεια) regio Palaestinae mediae. I. Macc. 10, 30. Luc. 17, 11. Flav. Jos. bell. jud. III, 3. 4.

V. 57. Lemures (μορμολύκεια) i. q. Manes sive Larvae, spectra et hujusmodi nocturna terriculamenta. Apulej. de Deo Socrat. Ovid. Fasti V, 421 seqq. Hic daemones significant.

V. 60. Avernus (ἄορνος) lacus Italiae prope Neapolin, qui pestiferis exhalationibus notus erat, ita ut aves supervolantes perirent (inde ἄορνος). Quo fiebat, ut et hic, sicut in Taenaro aditus ad inferos esse diceretur. Cf. Virg. Aen. VI et Excurs II Heynii. Tzetz. ad Lycophr. 704.

„Quae male serpit humi sinuosa, recollige caudam.
„Nescio quid siet hoc: quoties mentirier ora,
„Incessumve hominum libuit, quid semper iniquum
„Prosilit, atque Orci frustum, aut mala lingula pendet."
Nunc, Stygii, huc animum, fratres. Nos Belphegor istoc
Exploratores mittit, qui nunc Babylone
Eductos Erebo pedites equitesve recenset
Adversus Puerum, cui centum millia fama est
Aligerum lateri advigilare. Puerne, Deusne,
Incertum: remque hanc scabere, et sibi cuncta referri
Continuo mandat. Vos ergo advortite mentem,
Quid mediter, quae se primum sors optuma pandat.
Caesorum est hodie infantum lux annua. Rite
Convenient matres in silvam, ubi cespite ficti
Sunt tumuli septem lactentum: atque huc quoque mater
Adveniet pueri Je.. (vau! ferme excidit ore
Flammivomum nomen, quod sulphure pejus adurit).
Hic ego plorantes inter lacrumabor anilem
In speciem curas acuens, mixtoque dolorem
Felle ciens, spargamque ignes et nigra venena.
Vos, simul in vulgus paulatim serpere virus
Coeperit, extemplo facies assumite matrum,
Quae peregre Aegypti veniunt ex urbibus, atros
Appensos pueros zonis ad colla gerentes.
Atque ibi clade pari (cum Memphi degeret infans

---

V. 71. Edit. Veneta: Prosilit, atque aliquod frustum Orci, aut lingula pendet.

V. 72. Belphegor nomen idoli Moabitarum, quod libidinose et turpe colebatur. Num. 25, 1 sqq. 31, 16. Jos. 22, 17. Hic satanam principem subintellige.

V. 73. Babylon celeberrima olim Asiae urbs in regione compestri Sinear (Sennahar) ad Euphratem.

V. 80. Caesorum infantum. Cfr. Evang. Matth. 2, 16 sqq.

V. 92. Memphi. Cf. I, 87.

Jesseus) caesos pariter sine more puellos
Dicite, vosque aegre elapsas, mediosque per enses
Perque neces, vestros rapuisse e funere gnatos.
Sic fraus egregie mihi nodo intexta; nec impar
(Spero equidem) merces operi promissa sequetur.
Talia jactantes, densa caligine septi
Ibant, et muros pagi portasque subibant,
Atque locum, insidiisque modum tempusque parabant.

Atque ea dum lemures obscurae noctis in umbra
Consilia et fraudes agitant, jam Persidos arvis
Constiterat legio Ditis; tanto illa paratu
Flammarum atque aeris, quanto si funditus orbis
Vastandus terrae, aut repetendum ultricibus armis
Sidus hyperboreum soliumve Aquilone locandum.
Non tot ad Euphratem vastis tentoria campis
Victor Amurrathes quondam Babylonia circum
Moenia distendit; nec tot Mustaphus eois
Viribus excitis, totoque Oriente coacto,
Austriacam implevit nuper terrore Viennam,
Quot Stygias turmas sub signa Beelphegor Orci
Egerat ad ripas Chaldaei fluminis, ipsam
Atque urbem flammis et fumo atque aethera et omnes

---

V. 102. Persis Asiae ampla provincia ad mare persicum, a Perse vel Perseo rege sic dicta. Pl. Pers. 4, 3, 28.

V. 107. Euphrates Asiae fluvius, qui in Niphate monte Armeniae majoris oritur, et cum Tigride in sinum Persicum cadit. Plin. V. 24, 20.

V. 108. Amurathes sive Murad IV anno 1637 Bagdad et Erivan urbes Persis bello ereptas regno suo adjecit.

V. 109. Mustaphus militiae Turcicae praefectus, qui anno 1680 Viennam oppugnavit.

V. 112. In Edit. Venet. pro Beelphegor Orci legitur: coegerat Orcus.

V. 112. Stygias turmas. Styx, fons Arcadiae, quem Homerus finxit Inferni paludem, ponitur pro ipsis Inferis. Paus. VIII, 18.

V. 113. in Edit. Venet. desideratur.

Afflarat campos. Callotti quisquis eremum
Infernasque acies pictas portentaque vidit,
Totque illic Erebi formas, Antonius olim
Numine confisus quae dispulit omnia in auras;
Ille satis nondum sibi spectra haec horrida fingat.
Quid primum, quid deinde canam? Namque aëre toto
Plena avium stygiis rostris, plena omnia gryphis,
Atque ipso emergunt orcae atque acherusia cete,
Attolluntque caput fluvio, et vada turbida verrunt.
Tercentum in leucas latis exercitus horrens
Porrigitur campis; quamtumve interjacet arvi
Harpyiae Scyllaeque tenent, nigrique elephanti,
Phantuae, Onoscelides, Phonique levesque Paredri;
Vexillumque Erebi ferrata e cuspide pendet
Daemonis hirsuti pellis, quam ventilat Auster,
Ipse etiam ex Erebo perflans. Quid murmura circum,
Quid raucos fremitus castrorumque otia cantem?
Pars piceos infraenat equos, pars aerea stipat
Tormenta ingestis lemurum in cava viscera turmis,
Atque alius bombo horrisono displodit in auras.

---

V. 115. Jacobus Callot, chalcographus celeber, natus Nanceji (Nancy) anno 1593, mortuus 1635.

V. 117. S. Antonius Abbas, qui patientia et abstinentia, labore ac studio literarum ss. multos superabat, Constantino M. imperante in vastissimam Aegypti solitudinem se contulit, ubi daemonum tentationes vanas reddidit.

V. 119. Edit. Venet. pro haec horrida l. horrentia.

V. 126. Harpyae (Ἅρπυιαι), Furiarum genus, ad homines puniendos emittebantur. Virg. Aen. III, 216. 226. Hoc loco cacodaemones, uti eod. vers. Scyllae. Scylla, monstrum marinum in freto Siculo. Odyss. XII, 73 — 99. Virg. Aen. VI, 74.

V. 127. Phantuae (a φαίνομαι), Onoscelides (ab ὄνος et σκέλος), Phoni (a φόνος), Paredri (a παρά et ἕδρα) sunt genii mali hominibus infesti. Cf. August. de civ. Dei. Lib. 15, c. 23. Hieronym. vit. Hilarii.

Hic Centaurorum submisso poplite calces
Atro praecinctus corio, convitia jactans,
Aeratis soleis ferruminat: ille retusos
Exacuit mercede ungues et cornua passim
Cum stridore rota circum acta, quam pede versat,
Doliolo e nigro in silicem stillante cremore.
Tum dirae facies, quales e marmore summis
Delubris Gothicis prostant, coelove cadentes
Excipiunt pluvios imbres; vel qualia in hortis
Romuleis Tiburtino spirantia saxo
Ora labris bifidis, magnoque patentia rictu
Albuneae jaculantur aquas. Haec omnis apertis
(Assyria postquam late consederat ora,
Jamque aderat toto miles collectus Averno)
Ibat ovans legio campis. Praeit horrida cantu
Buccina Taenario Phlegethonte audita, cavernisque
Aemula respondet stygiis. Prima agmina Alastor
Millia centum agitat lemurum, quibus omnibus ora
Effuso varioque sonant distorta cachinno;
Omnibus aequoreae summa pro casside conchae,
Ac frustillatim scissae per corpora abollae.
Hi campos habitant imi aëris: aethere magno

V. 135. Centauri, monstra superiore parte homines, inferiore equi, hoc loco cacodaemones.

V. 142. Delubra, quae Gothica (a Gothis, Germanorum populo) sive antiqua vocantur, variis iisque deformibus simulacris ornata erant.

V. 144. Multus Romae Tiburtini lapidis usus.

V. 146. Albunea fons in Tiburtinis montibus.

V. 147. Assyria, regio Asiae, a Mesopotamia Tigride fluvio divisa.

V. 148. Averno. Cf. III, 60.

V. 150. Phlegethon (Φλεγέθων) fluvius Inferorum igneis fluens undis. Cf. Pomey Panth. myth.

V. 151. Alastor (ἀλάστωρ) unus e quatuor equis, qui currum Plutonis, regis Inferorum, trahebant, inter alia ultorem, punitorem, pestem et hic daemonum ducem significat.

Namque ferunt olim discrimina neutra secatos,
Nec styge, nec coelo admissos, volitare per auras.
Post hos implicitus nimbo nigraque procella
Arbiter Oceani Typhon sese arduus infert:
Quem sequitur Rummus, Rummus qui devia saxa,
Quique sinus habitat Locarni, et vertice ab alto
Margutii veniens Verbani exasperat undam.
Centum illi lamiae comites, anus Orchia, et Afra
Euganeae; Nannaeaque, Feaque junior, ambae
Vindelicae, et Rhaetae innumerae, Marsaeque, Sabellaeque,
Atque aeris fabri fumosoque ore caminis
Assueti furvis pannosa in veste banausi.
Hinc stridor varius, veluti cum summa domorum
Rivales glaucis oculis se torva tuentes
Noctibus hibernis percurrunt culmina feles.
Una omnes spissa pluviali in nocte feruntur,
Terrificosque cient nimbos. Heu vindicis ira
Numinis! heu quantum pulcherrima sidera Olympi

---

V. 158. Styge. cf. III, 112.

V. 160. Typhon, unus Gigantum, apud Veteres haud raro ventum procellosum (Hesiod. Theog. 820 sqq. Pind. I, 29 alios) et hoc loco malum daemonem designat.

V. 161. Rummus, genius malus. Fortasse i. q. Ruminus, Deus alitor, Jupiter. Augustin. de civ. Dei 7, 11.

V. 162. Locarnus lacus Italiae superioris i. q. Verbanus (lago maggiore). Larius lacus, lago di Como.

V. 163. Margutium (Margozzo) ad Lacum Verbanum.

V. 165. Euganei populi Galliae transpadanae. Praecipue vero Euganei dicti sunt, qui agrum circa Patavinum incoluere, ubi Euganei colles. Lucan. 7, 192.

V. 166. Vindelicia regio inter Vindam et Lycum Bavariae fluvios, et Rhaetia hodie Tyrolis. Marsi, populus Latii (Abruzzo ulteriore) juxta lacum Fucinum, rebus magicis erant dediti, uti Sabinorum mulieres. Solin. 2. med. Horat. Epod. 17, 28.

V. 168. Banausus (βάναυσος) artificem, qui ad ignem operatur, itemque servum mercede conductum vilemque significat.

Deformare scelus quondam; quantum impia regni
Ambitio potuit soliique insana cupido!
Postremo insignis maculosi pellibus hydri
Quadrijugo it curru Dramelech, qui praelia primus,
Quique arcus Scythicos docuit, volucresque sagittas.
Mille repertores secum trahit ille nocentes,
Qui ferri infandos usus, qui dira venena,
Qui pestes morbosque novos, et Thessala philtra,
Atque alia in populos miseros inventa tulere
Noxia: quos sequitur clauditque nigerrimus unus
Vertice demisso, qui seris invehet annis
Flammiferas bolides; jam nunc secum ille volutat
Triste magisterium flammae pandasque carinas,
Arcanique ignis non evitabile fulmen.
Singula quid memorem? quid formidabile murmur?
Quid rictus varios, quos haud fas dicere? namque
Ipsae etiam balistae, ollae, tentoria, carri,
Tympana erant stygii Cacodaemones; oraque et igneos
Abstrusos oculos hac illa in parte gerebant.
Ad stagnum obscuris piceis atraque cupresso,
Ilicibus septum nigris postquam undique turba
Litore constiterat (dictu mirabile) signum
Taenariae cecinere tubae: tum protinus omnes
Quadrigae, pedites, equites, carpenta, cameli,

---

V. 178. Dramelech (pro Adrammelech) falsum Assyriorum et Samaritanorum numen, in cujus honorem incolae Sepharvaim parvulos suos igni comburebant. Cf. Regg. 17, 31.

V. 179. Scythae, populus ad Pontum Euxinum, egregii erant sagittarii. Plin. 36, 57.

V. 182. Thessali veneficiis et incantationibus infames fuerunt, praecipue feminae. Tibull. 2, 4, 55. Plin. 30, 1, 2.

V. 196. Edit. Venet. pro dictu mirabile legit: tumuli de vertice.

V. 198 inter et V. 199 Edit. Venet. interjecit:
Quot non vastator Totilas, non Attila secum,
Aut Tamerlanes olim convexerat, omnia

Emissis alis ingentibus aëre sparsis,
Tartareo in nimbo pennis subvecta volabant.
Talibus horrendus spectris eruperat Orcus
Multa timens: nec enim mortali pugna gerenda
Cum stirpe, aut simplex aliquis fallendus eremo
Silvicola; at dura in superos atque ardua in ipsum
Pro templis arisque Deum, spoliisque repostis,
Bella fore armatum, gens praevidet impia, Numen.

Nazariae interea matres, ut rite quotannis
Mos erat, Infantes, quorum annua fata redibant,
Unanimi in coetu flebant. Nam myrtea silva,
Et silva in media pratum circumque frequentes
Colliculi exigui monumentaque tristia passim
Extra urbis muros fuerant. Fueratque ibi, gnato
Dina ubi moesta suo, atque suo moestissima Rachel,
Atque aliae aggesta terra tenerisque cupressis
Ornarant tumulos, tumulos tamen intus inanes,
Quippe ignotus habet procul hinc corpuscula agellus.
Nil miserabilius visum unquam. Namque ut acerbis
Aerumnis aderat quae dictis blanda mederi,
Solarique aegras Virgo mitissima voce
Et vultu poterat; juvat omnem evolvere coram
Flebilis historiae seriem, quam dicere saepe
Consuerat Rachel, sed nunquam sic lacrimata est,
Nec lavit velum uberius, quo lumina tergit
Interdum narrans calido manantia fletu.
Heu natum illa suum caesum crudeliter ipso
In gremio parvasque manus, atque utraque collo
Brachia tendentem lacrimis reminiscitur aegra.

---

V. 200 et 201. Tartarus sive Tartara (orum) locus Inferorum profundissimus; Orcus (Deus Inferorum, idem qui Pluto et Dis Pater) pro ipsa morte et loco Inferorum accipitur. Virg. Aen. 6, 273.

Quo gemitu concussae aliae, luctusque secutus
Ingens; foemineis resonat nemus omne querelis.
At medios inter ploratus cuncta scelestus
Ille explorator stygius terrore repente
Ridiculoque metu implevit. Nam sederat herba
Ipse etiam in viridi lugens, spissoque nigroque
Se abdiderat panno, viduae ore habituque Phenennae,
Ereptosque sibi geminos ululare nepotes
Conabatur: eratque adeo sine more modoque
Expresso in luctu deformis, ut ipsa modestum
Quanquam dissimulet vultu, vix, credo, teneret
(Conscia quippe doli) Virgo pulcherrima risum.
Namque utraque manu complectens tempora labris,
Barbula queis inerat, misere hinc atque inde reductis,
Singultusque trahens crebros, velut antlia sicca;
Hos frontem caperans vultu lugentis amarum,
Perfida turpis anus questus dabat: Ah miseram me!
Ah meus ereptus fato Nehemillus acerbo,
Cui furvi crines, vultusque oculique nigelli,
Nec dum etiam exerti unguiculi! Nunc viveret ille;
Et lassae aetatis fulcrum quoque viveret Abner,
Eheu, quem pariter lictor mihi sustulit ense!
Eheu me miseram geminis lactentibus orbam!
Heu, non posse mori, meque his exsolvere curis!
Causa mali tanti Puer ille. Hic indice Jesum
Lurida signabat; sed clauso gutture vocem
Edere non poterat. Nequicquam tempora quassans
Eluctatur iter, veluti qui faucibus arctis

---

V. 231. Stygius. Cfr. III, 112.
V. 241. Editio Venet. pro misere l. foede.
V. 247. Edit. Veneta:
Cui noudum pro: nec dum etiam.

Justo majorem transmittere nititur escam
Transversam jugulo. Dumque improba fingit acerbo
Se fletu nimio oppressam, nec posse loquelam
Exerere, et velo interea sese arctius abdit
Intentos oculos metuens (res foeda relatu!),
Paulatim rupto prodibant utraque lino
Cornicula exacta ad tornum turpissima visu;
Emicuere ignes oculis et tempore eodem
Pes lubrica e solea fugit, vitulinaquae coram
Ungula subducta in solem foedissima venit.
Diriguere metu cunctae; simul agmine facto
Terga dabant: tenuit Virgo, excussoque pavore
Obscoenam vetulam certatim murmure magno
Sandaliis jactu alterno, saxisque petitam
Turba puellarum insequitur. Fugit illa, cavernamque
Occupat: inde efflat grave olentem in limine fumum.
Quo socii haud longe tremefacti, in veste latentes
Foeminea, falsos pueros, luctumque parati
Inferre in medium; condictae ubi fraudis inanem
Successum videre, nemus subiere, nec ausi
Prodire in scenam: densis in nubibus errant
Nazareos colles circum vicinaque rura,
Ancipites quid agant, quo res meditataque vergant.
Ecce autem, postquam jam dudum Virgo penates
Intrarat, purasque manus tendebat Olympo,
Fundens rite preces, stygii haud ignara pericli,
Ecce, inquam, foribus patefactis nuncius Ales
Astitit ante oculos, roseoque haec ore locutus:
„Diva poli, his Puerum teque ocius eripe tectis;

---

V. 262 seqq. Edit. Veneta:
Cornicula; emicuere ignes, et tempore eodem
Lubricus e solea pes fugit equinaque coram
V. 265. Edit. Venet. pro foedissima l. teterrima.

„Jordanisque sacri pete ripas. Est ibi vallis
„Umbriferumque in valle nemus, cui proxima rupes,
„Atque in rupe domus. Tuus haec silvestria parvus
„Antra nepos habitat, praecursor Numinis. Illuc
„Protinus ire jubet superum Pater atque hominum Rex,
„Atque haec ferre dedit celeres mandata per auras.
„Surge age, clara prius quam solem proferat Eos.
„Nam qualis quantusque cavo se carcere fudit
„Turbo niger coelum, terras et tartara miscens!
„Dicere plura vetor." Sic fatus, multa volentem
Poscere deseruit, tenuesque recessit in auras.
Ocius illa sequi coelestia jussa parabat
Auroram expectans. Rutilis nitidissima stellis
Cernit adhuc convexa poli: procul ignibus ardent
Aëris immensi tractus; atque arva lacusque
Et nemora et montes nox obtegit alta tenebris.
At metuenda acies Erebi vecta aëre coeco
Ibat more gruum, totamque immanibus alis
Assyriam late, atque Arabum deserta tegebat;
Nulli visa tamen, nisi felibus armentisque,
Et canibus noctu sine fine latrantibus, ore
Sublato aëria ad spectra horribilesque phalanges.

---

V. 285. Jordanis. Cfr. II, 351.

V. 288. Praecursor Numinis i. e. Joannes Baptista, Zachariae et Elisabeth filius. Cfr. Matth. 3, 1. cap. 17, 13. Luc. 1, 5 sqq.

V. 293. Turbo (onis et inis) idem ac turbator i. e. diabolus. Apoc. 9. 11.

V. 299. Edit. Venet. pro Aëris immensi tractus l. Taenariis celsi montes.

V. 301. Erebi. Cfr. I, 3.

V. 303. Assyria. Cfr. III, 147.

Arabes partem Asiae incolebant, quae terminos habet a septent. Syriam & Euphratem, ab orient. sinum persicum, ab occas. sinum arabicum, et a merid. mare arabicum sive partem Oceani indici.

Ter lapsa ad terram nubes Cocytia, turmas
Exceptura novas: nam passim e rupibus illis,
E nemorum latebris, e quercubus atque cavernis
Cornigeri egressi socii bella armaque poscunt.
Noctes atque dies it flammeus aethere turbo
Horrendus, terrisque minans: lateque per omnes
Judaeae fines sparsis se turbinat alis.
Donec ter circum gyris ingentibus actus
Ter rauco accitis sociis agrestibus ore,
In montana Abarim praeceps cadit; atque ibi quotquot
Vallibus, et sterili in sabulo loca vasta tenebant,
Accolae Avernales occurrunt undique Mormi,
Obscoeni Triptes, Aquili, Lamiae, Eurynomique,
Lucifugique alii innumeri, et socia agmina jungunt.
Musa, mihi infernas curas miserosque labores,
Rixas atque lues memora, erroresque viarum,
Et studia et mores insanique orgia Ditis;
Quaeque procul ratibus miris delata per auras
Extremis Asiae turba adventarit ab oris:
Utque ingens castris lis orta, utque arma vicissim

---

V. 307. **Cocytus** (Κωκυτός) fluvius Jnferorum, e stygia palude enascens, pro Tartaro ponitur.

V. 313. **Judaea**, quae primitus Chananaea et Palaestina dicebatur, stricte regionem complectitur, quam tribus Juda & Benjamin incolebant, latius vero de omni Palaestina usurpatur. Cfr. Jos. bell. jud. III. 3, 5.

V. 316. **Abarim** sunt montes citra Jordanem, quorum pars Nebo, ubi Moses e vita decessit. Num. 33, 47. Deut. 32, 49.

V. 318. **Mormi** (μορμών) formae terrentes, spectra.

V. 319. **Triptes** (τρίπτης a τρίβω) hominum vexatores & cruciatores. **Aquili** i. q. fusci, nigri scil. cacodaemones. **Lamiae** (λάμιαι) veneficae mulieres (h. l. **cacodaemones**), quae infantes et adolescentes devorabant. Hor. A. P. 340. **Eurynomi** (ab εὐρύς & νέμειν) late imperantes h. l. genii mali. II, 45.

V. 323. **Ditis.** Cfr. I, 28.

Conversa in socios ac demum foedere diro
Omnia compositis turbis sedata quierint.
Mos est, igniferas quoties in bella catervas
Tartarei eduxere duces, seu litore turmae
Constiterint, seu desertis in montibus aspris
Noctes atque dies exercere agmina campo,
Nec minimam lassis unquam indulgere quietem.
Ni faciant, aut hac illac sparsa aethere aberrent
Continuo, aut inter se ineant asperrima bella;
Tanta animos rabies, furor atque insania versat.
Ergo locustarum deserta per avia summam
Principio exigere, et rutae atque hypericonis, ervi,
Absinthique omnis, censumque indicere arenae:
Durum opus, infestum, stygioque molestius igne.
Hinc adeo memores visa execrantur olentis
Nunc etiam rutae folia atque hypericonis umbram.
Inde huc atque illuc transferre horrentia castra
Per loca inaccessa, abruptis asperrima saxis;
Caetera diversis legio dum sparsa per orbem
Paulatim coëat terris, praemissaque turba
Exploratorum redeat. Pulsum ossibus albis
Tympanum equo praeit horrisonum, sonat ungula equorum
Plurima pone sequens; flammisque horrentia lucent

---

V. 330. **Aspris** pro asperis. Edit. Venet. l. illic.

V. 338 & 339. **Ruta** (πήγανον, Raute) herba hortensis, olim graece ῥύτα. Duplex est, sativa et silvestris. Plin. 20, 13, 51.
**Hypericon** (ὑπέρικον, Johanniskraut) i. q. chamaepitys et corion. **Ervum** (Erve) genus est leguminis siliqua cylindracea fructuque lignoso. Colum. 2, 11. **Absinthium** (ἄψινθος, Wermuth) herba est foliis multipliciter fissis insignique amaritie praedita.

V. 340 — 42 incl. in Edit. Venet. desiderantur.

V. 349. Edit. Venet. pro **flammisque horrentia** l. flammis ardentia.

Ad lunam Mathanae deserta, atque ardua Moab
Regna, Edomitarum pendentiaque oppida saxis.
Ventum est semiruti pagi in magalia noctu.
Hic Satyrus Behemoth dum quaedam rudera versat,
Legiferi Mosis cineres ubi forte quierant,
Gramineo e saxo flamma improvisa reluxit,
Hircinamque illi barbam, et crura hispida adussit.
Capripedesque inter socios dum saltitat, ignem
Corripuere alii villis. Hinc excita rursum
Injectis stimulis rabies; hinc triste per agmen
Augurium, fractae vires, penitusque medullis
Infixus dolor impatiens: tum sulphuris atri
Addita proluvies alvi, stranguria, cancri;
Unde gravis labor, atque exosae taedia lucis,
Inque duces varium murmur, dira omina belli.
Ergo ubi prima polo surgens aurora refulsit,
(Ne mora jam coeptas intenderet acrius iras)
Rursum castra movent petrosa per avia Marae,
Mosis ubi jussu cortex demersus in undam

---

V. 350. Mathana locus stationum Israelitarum in finibus Arabiae desertae & terrae Moab, quae regio ad orientem Jordanis et maris mortui sita est. Num. 21, 18 sqq. Fl. Jos. bell. jud. III, 3, 3, IV, 8.

V. 351. Edomitae (Ἰδουμαῖοι) in montibus Seir ad euronotum finium Palaestinae babitabant. Gen. 32, 3. Ezech. 35, 15. Fl. Jos. Antiqq. II, 1, 1.

V. 353. Edit. Venet. legit:
Hic Satyrus Behemoth pedibus dum rudera versat.
Poëtae satyros fingunt bipedes, superiori parte homines, inferiori feras. Hor. Od. 2, 19, 4.
Behemoth (ἵππος τοῦ Νείλου, ἵππος ποτάμιος, Nilpferd, Flusspferd) monstrum marinum, h. l. daemonem significat.

V. 358. Edit. Veneta pro rursum l. primum.

V. 367. Mara (amarities) locus in deserto arabico, ubi Jsraelitae aquam amaram invenere. Num. 33. 8. Exod. 15, 23.

Tersit amaritiem stagni; nunc omnis Avernus
Ore bibit salsos latices, et flumina turbat.
Atque hic, intento rictu dum singula lustrant,
Calceus in ripa niger et vetus Ismaelitae
Inventus, soleis longo jam tempore adesis;
Quem circumfusis rostris dum Daemones atri
Naribus olfaciunt, et morsum dentibus inter
Se rapiuntque trahuntque, Bavum Phegor ore momordit:
Gruniit ille, nigroque armo Babuelis inhaesit,
Atque is restituit morsum Zabulo, iste Molorcho.
Hinc iterum furor et rabies, et stridor ad astra
Excitus horribilis, veluti cum exorta canum lis
In trivio, aut stridens nexo pede protrahitur sus.
Cornibus infestis concurritur undique, fumum
In faciem, piceosque ignes sibi mutuo inhalant:
Hic ruit ex alto praeceps, hunc ille veruto
Trajectum impositumque humeris rapit: ille reluctans
Infoditur penitus sabulo: atque hinc Euphius, inde
Per medias turbas Belial, nec non Melusina
Strix anus, et proceres alii compescere dictis,
Fustibus et quernis palis certamina saeva
Conantur medii. Furiis exercitus amens,
Horrendum stridens, montes secessit in altos,
Dissidiumque ingens oritur. Pars plurima bellum
Detrectare palam, nisi dux regat arbiter agmen

---

V. 369. **Avernus**. Cfr. III, 60.

V. 372. Ismaelitae, posteri Ismaelis, filii Abrahami ex Agar ancilla, Arabiam incoluerunt. Gen. 16, 15. c. 21, 14 sqq. c. 25, 12 sqq.

V. 376. 377. 378. **Bavus**, **Phegor**, **Babuel**, **Zabulus**, **Molorchus** — diabolorum nomina.

V. 385. Edit. Venet. pro **reluctans** l. sub alto.

V. 386. Edit. Veneta:

Infoditur sabulo: Hinc Babel, hinc Euphius, inde

V. 386. **Euphius** fictum diaboli nomen.

V. 387. **Belial**. V, 334.

Humana de gente satus: nil viribus Orcum
Posse suis, atque acceptis id cladibus olim
Compertum toties: quidquid feliciter actum
Flagitiis hominum referunt. Pars altera contra
Abnuere invisum genus, eventusque sinistros
Mortali pariter toties sub principe foedos
Objicere: Haec testis rupes, haec conscia saxa
Perfidiae: hoc ipso nos quondam in monte fefellit
Sacrificus Balaam. Castra execrarier olim
Isacidum jussus, vates nequissimus ante
Consuluit coeli Numen: dehinc proditor ore
Fatidico cecinit Sidus fatale oriturum
Abramidum populo. Sidus fatale refulsit,
Splendoremque novum Solymaea in regna sequuntur
Memnonii Reges. Confestim hos perdere letho
Herodi sumus auctores: ille urbe domoque
Excipit: Infantis quin et cunabula demens
Indicat. Elusis votis, ferro ocius ire
In puerum hortamur: fit strages, undique terror,
Ira, pavor, luctus: mediis e millibus unus
Interea impune elapsus subterfugit hostis.

---

V. 394. Orcus. Cfr. III, 200 & 201.

V. 401. Edit. Venet. legit:
Hoc ipso, ajebant, nos quondam in monte fefellit

V. 402. Balaam (Bileam) pseudopropheta ex urbe Pethor ultra Euphratem. Num. c. 22 — c. 24 v. 17.

V. 406 & 407. Edit. Venet. legit:
Abramidum populis. Hoc sidus deinde sereno
Ostensum coelo Solimaea in regna sequuntur

V. 407. Solymaea. Cfr. I, 6.

V. 408. Memnonius i. q. aethiopicus (Virg. Aen. I, 493. Lucan. III, 284) h. l. memnonii reges sunt illi tres viri sapientes (Μάγοι), qui stella duce ab Oriente Hierosolyma venerunt, ut Judaeorum regem natum quaererent. Cfr. Matth. cap. 2.

V. 409. Herodes Magnus, Ascalonita, ex Idumaea stirpe Antipatro patre natus, infantes Bethlehemiticos trucidari jussit. Matth. c. 2.

Heu probrum! heu sero quaesitum turpe timori
Praesidium! Et quisquam tantarum credere rerum
Perjuro generi, infido totiesque rebelli
Nunc summam velit? Haec illi. Tanto acrius ira
Aestuat. Hinc atque hinc mens, et sententia constans,
Obnixique animi studiis discordibus. Et jam
Indomiti, infraenes, nec passi excedere castris,
Nec tolerare moras, in mutua fata ruebant,
Tartaream aggressi litem decernere campo.
Ecce autem (horrendum visu, et mirabile monstrum!)
Ecce, inquam, obscuro in nimbo procul aethere visi
Veliferi ingentes gauli, centumque triremes
Aëriae, innumeraeque rates, cimbaeque minores,
Informes cattae, lintres, piceique phaseli;
Classis ab Eois quae formidabilis Indis
Solverat. Huc Sinae, et Bactra, et Malabarica regna
Transtulerant rictus varios, et spectra Deorum
Innumera. Illa rotis se circinat aëre magnis,
Paulatim ad terras spiris ingentibus acta.
Vela alii antennis religant, carchesia summa
Ascendunt alii: fragor undique nauticus, atque hac
Atque illac per transtra ultro citroque celeustae
Nuda in terga sonant scuticis. In puppibus altis

---

V. 415 & 416. Pro his verss. Edit. Venet. legit:
Proh scelus! Et quisquam tantarum credere rerum

V. 428. Cattae navium genus. Gell. 10, 25.

V. 430. Sinae (hodie Cochinchina, h. l. pro incolis Chinae, qui Chinenses sive Sinenses vocantur.
Bactra (Balk) pro regione Bactriana (Afghanistan).
Malabarica regna (Malabar ora Indiae intra Gangem, quae est occidentem versus) pro India.

V. 431. Rictus h. l. certe larvae (μορμολύκεια) sive genii mali. III, 127.

V. 436. Celeustes (κελευστής) hortator remigum, portisculus. Xen. Oec. 21, 3.

Reginae apparent, fulvo quibus omnibus ora
Sparsa vitro, caliendra argentea, vinctaque taxo
Tempora inauratis foliis, spartoque ligati
Horrendum in morem summa cervice capilli.
Mox ubi demissae terras tetigere carinae,
Continuo immanes volucres, animalia, cephi
Exiluere cavis ratibus, Fauni, Satyrisci,
Dorcades, omnigenumque Deum sine nomine turba.
Has inter facies varias regina Amilida
(Japones appellant contracto nomine Amidam)
Sparsa comas nigro vehitur pulcherrima capro
Per medias turbas: quaque infert ardua gressum,
Armigero obsequio vexilla hastasque phalanges
Subjiciunt. Stygii proceres stant undique circum;
Quaeque atrox nuper lis orta, utque agmina scissa

---

V. 439. Caliendrum (a καλινδεῖν, vel κυλινδεῖν involvere) muliebre capitis ornamentum, galericulo simile. Italice cuffia vel perrucchino (Perücke).

V. 443. Cephus (κῆφος) animal apud Aethiopes pedes posteriores humanis pedibus et cruribus, et priores hominis manibus similes habens. Plin. 8, 19.

V. 444. Fauni ab ethnicis dii agrorum et montium, Satyrisci (parvi Satyri) dii silvarum campestrium sunt habiti. Antiqui Faunos eosdem esse ac Incubos (Paredros, Cf. III, 127), ab iisque infestari dormientes et opprimi credebant. Augustin. de civ. dei 15, 23. Plin. 25, 4, 10. Serv. ad Aen. VI, 776.

V. 444. Edit. Venet. inter vers. 444 & 445 addit:
Semihominesque canes, et tortis cornibus hirci,

V. 445. Dorcades (a graeco δορκάς) damae, capreae, h. l. genus cacodaemonum quoddam.

V. 446. Regina Amilida. Ceva annotat: Daemon repraesentans Idololatriam.

V. 447. Japones incolae insularum Asiae orientem versus (prope Chinam), ex quibus Imperium Japan constat.

V. 451 — 454 incl. Edit. Veneta contrahit:
Subjiciunt. Stetit illa gravi imperterrita vultu
Hinc atque hinc geminas adverso in monte catervas

Turbatis castris geminoque in monte catervas
Ostendunt. Stetit illa gravi imperterrita vultu
Nunc hos, nunc illos averso lumine lustrans:
„Et quae vos, inquit, mentis vesania coecas
„In furias agit, o miseri? Hoc erat, hoccine bellum?
„Huc socias tulimus vires? haec foedera nuper?
„Haec jurata fides? in nos condiximus arma?
„Plagiferi, ambusti torres, per numina Ditis
„Horrendi, infernumque Chaos, discordibus ultro
„Exitium commune fero. Concurrite utrinque,
„Pergite, io! sedeo spectatrix, tertia Erinnys
„Ex aequo ambobus cladem allatura, scelesti,
„Viribus una meis par bello.“ His territa dictis
Lucifugum mens versa: animis subsidere sensim
Irarum fluctus: summis e rupibus acti,
Visendi studio, Babel et Mabo bicornis,
Et Faunus Simiel Onocentaurusque Molorchus,
Atque alii innumeri in mediam descendere vallem.
Mollius illa animos verbis lenire feroces,
Hortarique omnes, dum tempus, dum vacat, et res
Integra adhuc, numerusque auctus, spem ponere in armis:
Arbitriumque sibi poscit, quo foedera certis
Legibus instituat, dirimatque obstacula belli.
Hic epulae instructae; atque inter carchesia magna,
Obscoenasque dapes et ferrea pocula tandem
Consilio ducis et procerum, jussuque Amilidae

---

V. 461. Chaos (a χάω vel χαίνω) materia coeli & terrae confusa atque informis, qualem initio mundi fuisse dicunt, h. l. pro Inferis ponitur. Ovid. Fast. 4, 600. Lactant. 1, 5.

V. 463. Erinnys, Ἠριννύς (ab ἐριννύειν indignari) una ex infernalibus furiis, saepe ut nomen commune omnium Furiarum accipitur. Propert. 2, 16, 29. Virg. Aen. 2, 337.

V. 468. Edit. Venet. pro 468 — 470 incl. unum versum habet:
Visendi studio, in mediam descendere vallem.

Lis ita composita: Ut primum discrimina Martis
Principe sub Stygio collectis viribus omnes
Concordes ineant; sin vero prospera pugnae
Sors minus acciderit, nec soli obsistere possint,
Tunc aliquis demum mortali e sanguine cretus,
Foedere conjuncto, belli moderetur habenas,
Succedatque oneri. Clamorem ad sidera tollunt
Assensu unanimes cuncti. Ter flumine salso
Et pice liquenti, ter plumbo et sulphure regi
Inferno libant, ter nigri felle veneni.
Tum choreae enormes. Quatuor cacodaemones, orbi
Lumine utroque, hirsuto pectine, pegmate ab alto
Sambucas chordis gravioribus, et monochorda
Unanimes feriunt. Pedibus tremit icta bisulcis
Saltibus et magnis tellus: ululatibus antra
Atque cavae resonant valles. Vae, turba Acherontis!
Vae tibi, vulgus iners! vae, nigra examina Ditis!
Tot strepitus, tot spectra Erebi quo denique vergant,
Expecto. Juvat hanc animis modo tergere nubem,
Atque meum sidus, nitidumque revisere solem,
Quem dudum haud video nebulis inclusus opacis,
Vixque adeo intueor, fuligine plenus et umbris.

---

V. 493. Edit. Venet. pro et magnis l. horrificis.

V. 494. Acheron (ab a priv. et χαρά, gaudium) fluvius Inferorum a poetis dictus saepe pro ipsis Inferis ponitur. Serv. Aen. 6, 107. Cic. in senat.
Edit. Venet. legit:
Umbrosaeque sonant valles.



# LIBER QUARTUS.

## ARGUMENTUM.

**Deipara cum Puero in vallem Aenonis ad Divum Joannem Baptistam proficiscitur. In itinere leoni sitienti aquam e puteo haurit. Puella montana, amore Jesu capta, eidem ferre osculum a Virgine Matre impetrat; ejusque jussu in fonte se intuens, mutatam sibi faciem eamque pulcherrimam stupet. Angelus in sinum Abrahae nuncius ad Patres mittitur.**

Ergo in valle atra dum talia praeparat Orcus,
Parthenis interea exierat sub luminis ortum
Nazareo e pago, parvum visura nepotem
Elisabe natum; cui summam arcanaque rerum
Secretis Puer alloquiis committere nondum
Nota genitrici decreverat. Haec tamen olim
Post casus variosque metus durosque labores
Evenient. Nunc una amho per iniqua locorum
Et steriles saltus (ut nuper jusserat Ales),
Qua via per scopulos gressum in deserta ferebant.
Est prope Jordanem nemorosa et inhospita vallis,
Zacharidae statio pueri, quem cernere nulli

---

V. 1. Edit. Venet. pro atra l. procul.
Orcus. Cf. III, 200 & 201.
V. 3. Nazareo e pago. Cf. I, 42.
V. 11. Jordanem. Cf. II, 551.
V. 12. Zacharidae pueri. Cf. III, 288.

Scrutarique datum: quodque admirabile dictu,
Illius in tota resonabat vocula eremo,
Exigui in morem litui argentique canori.
Saepe viatores mirus sonus ille fefellit,
Implexosque diu tenuit; noctesque diesque
Erravere jugis alii, quos antra vocabant,
Speluncaeque cavae nemorum, et vocalia saxa.
Ille habitat rupem non vestigabilis ulli,
Et modo venatur silvestria sicubi mella,
Nunc scabra silice immissa, digitisque pusillis
Sollicitat rimis, sua pabula nempe, locustas.
Huc igitur peregrini ambo per opaca viarum
Delati obscuris lucis et vallibus ibant.
Ventum erat in montana Endor silvestria; summus
Aestus erat; puteus sub collibus unicus, unde
Hauribat gelidas omnis vicinia lymphas.
Heu fuge, Diva poli; torvus leo circuit undam
Egressus silva, atque oculis loca saevus oberrat:
At non illa ferae ingentis deterrita rictu
Continuo ut vidit: Misera haec sitit, inquit, anhela
Bellua: tanta illi pietas maternaque cura,
Et teneri sensus; abiegna protinus urna,
Compede ferrata inserta, lapsuque sonoro
In praeceps missa, teretis vertigine torni
Hausit aquam. Impatiens quadrupes pede rectus utroque,
Ut stillans educta udo stetit hydria saxo,
Aeger hians gelidae incubuit, cui mater amoris,
At tu, inquit, gregibus posthac ne noxius ullis,
Neu pueros laede insontes, tenerisque juvencis
Parce ferox; catulisque tuis hos praecipe mores.
Dumque bibit large mersa cervice comantes

V. 26. Endor urbs in tribu Manasse prope montem Tabor. Cf. Josue 17, 11. Flav. Jos. Antiqq. VI, 14. 2.

Illa toros, manibusque jubas mulcebat eburnis.
Ut satur eduxit torvum caput undique rorans,
Rugitum dedit ingentem, quo lucus et omnis
Insonuit late tremuitque exterrita vallis,
Hermonisque procul montes piscosaque Salim;
Caeteraque acta metu subiere animalia silvas.
Nulla magis memor officii fera, nulla salute
Gratior accepta; Usque adeo benefacta feroces
Submittunt animos. Jam saltum evaserat omnem
Parthenis; ecce autem retro conversa jubatum
Miratur comitem vestigia pone sequentem.
Perge, ait, in silvam, perge, inquam; iterumque morantem
Supploso increpuit pede terrens, bisque nivales
Percussit palmas. Ille aegre in tecta redibat,
Instar ovis gradiens placidae timidique catelli;
Moerenti similis, quod non pro munere tali
Par quidquam obsequio meritoque reponere posset.
  Hinc via per lucum umbriferum, quae ducit ad amnem,
Castaneis nemorosa solo fruticantibus, arctos
Concisa in calles: folia arida deflua ramis
Terram augent intermixtis passim aspera echinis.
Hac iter implexum per opaca umbracula agebant
Maeandris tortis, variisque ambagibus acti.
Et prior extricans dumos, ramosque coërcens
Sedula, per callem exiguum bona Virgo praeibat;

---

V. 48. Hermon, mons Palaestinae, pars Libani. Jos. 11, 17. cap. 13, 5. Salim ($\Sigma\alpha\lambda\varepsilon i\mu$) nomen loci prope Jordanem & urbem Aenon, ubi Joannes baptizabat. Cf. Joann. 3, 23, 1 Sam. 9, 4.
Hic versus in Edit. Venet. deest.

V. 53. Edit. Venet. pro Parthenis scribit: Nazaris.

V. 66. Maeandrus fluvius in Phrygia magna sinuosus flexibus: hinc omnes obliquitates et ambages Maeandri dicuntur. Plin. 5, 29, 31. Cic. Pis. 22. Gell. 16, 8.
Edit. Venet. pro Maeandris tortis l. Maeandro inflexo.

Cum densos inter vepres pulcherrimus Infans,
Cui matris dolor atque exercita cura parumper,
Et tenera anxietas fletusque placebat amantis;
Populea furtim sese occultavit in umbra.
Illa tamen coeptos sermones nescia fraudis
Usque sequebatur, ventis verba irrita jactans.
Ah misera! ut vertit sese, nec vidit; ut omnis
Extemplo fugit praecordia in intima sanguis!
Jamque adeo lacrimans implebat cuncta querelis,
Pallidior buxo, vestigans omnia circum:
Cum media erumpens inter lamenta Puellus
Ex improviso coram stetit. Ah! meus infans,
Quam pene exanimis rigui! Amisisse putaram.
Sic ait, arripuitque manu nive frigidore:
Pectora adhuc gelido saliunt concussa timore.
    Multa hic praetereo, quae si memorare canendo
Cuncta velim, diversa nimis mihi carmina aberrent.
Rem tamen obscuram fama juvat ordine totam
Eruere in lucem, et seris committere seclis,
Si quis honos musis post longum accesserit aevum:
Unde queant olim silvestres discere Nymphae,
Simplicitas quam cara Deo, quam grataque Divis
A teneris exacta annis sine labe juventa.
    Jam medium ferme sol conscensurus Olympum
Hortabatur equos, et fraena resolverat aurea;
Cum Maria et pulcher Jesus deserta per arva
Thaboris ad laevam frondoso colle relicto

---

V. 78. Edit. Venet. pro vestigans l. lustrabatque.

V. 89. Nymphae silvestres i. q. puellae rursticanae.

V. 92. Olympus (Ὄλυμπος, ὅλος λάμπων). Complures montes Olympi vocabantur. Praecipue a poëtis Olympus mons Thessaliae celebratur. Saepe pro coelo ponitur. Mela 2, 3. Virg. Ecl. 6, 86.

V. 95. Thabor (Ἰταβύριον) mons mediae Galilaeae prope Nazareth in finibus tribuum Isaschar & Zebulon. Jer. 46, 18. Jos. Antiqq. 5, 5. 3.

Transierant vitreum, qua glarea sicca, Cisonem.
Jamque propinquabant Sunae, quae vertice in alto
Eminet aërii collis, cui pascua circum
Tractibus et nemorum longis juga consita olivis.
Hic capreas inter tondentes gramina vallis
Invenere bonam succincta in veste puellam,
Vecte duas tereti ac lento quae forte gerebat
Fagineas humeris situlas et vertice plenam
Lacte urnam tepido, cui laevam admoverat; ore
Illa quidem fusco, nam dudum exercita campis
Sole sub aestivo; at simplex et candida, nec dum
Saucia amore ullo, quanquam tres circiter annos
Jam tribus addiderat lustris. Haec numine viso,
Quo non in terris puer unquam pulchrior ullis
Ore fuit, qualem nequicquam fingere ceris
Cinnabari ad vivum Lucensis cura laboret,
Coelesti exarsit flamma correpta repente,
Atque sui atque oblita gregis sic ore locuta:
O mater, quo pulchrum adeo per iniqua viarum
Delicium trahis, heu, Titan dum flammeus axe
Saxa coquit, flagratque dies ferventibus horis?
Haud procul hinc mihi parva domus: secedito ad umbram
Paulisper, donec coeli desaeviat ardor,
Adspiretque brevi quae temperat aura calorem.
O quam te memorem? Dic o quibus advena ab oris?

V. 96. Cisonem. Cf. II, 30.

V. 97. Suna (Sunam), urbs tribus Isaschar in via, quae ducit a Gilgal ad Carmel montem. Cf. Josue 19, 18. II Regg. 4, 8.

V. 99. Edit. Veneta:

Et longo nemorum tractu juga consita olivis.'

V. 111. Lucensis cura i. e. cura Lucae. Lucas, auctor tertii Evangelii et Actt. Apost., insignis pictor fertur fuisse (Niceph. hist. eccles. lib. 6, c. 16), quae vero res non omnibus probatur. Cf. Montfauconii Palaeogr. p. 21. Sixti Senensis biblioth. lib. 2.

V. 115. Titan, Hyperionis filius, qui passim pro Sole ponitur. Tibull. 4, 1, 50.

Quid tantum potuit vallis deserta mereri?
Nam puto te Solymis natam, quam fors mala nostris
Errantem impulerit terris; non ista puellas
Fert siquidem regio tales, nec parvulus iste
Agresti de rure venit. Tum regia Virgo
More suo arridens, risu quo cuncta serenat,
Quove genis accedit honos visque aurea dictis:
O gnata, o nostros, inquit, miserata labores,
Quae tibi pro meritis, paupercula et ipsa, referre
Dona queam? Siquidem nobis quoque parva supellex,
Assuetaeque manus calathis; atque hic bonus infans,
Qui mecum graditur, sortem fert aequus eandem.
Nazarides sumus: Aenonis nisi dissita vallis,
Quam petimus, celerare gradum, solemque praeire
Cogeret, haud equidem (tanta est tibi gratia fandi)
Hospitium abnuerem. Hic studio queribunda puella
Extenuare viam, digitoque ostendere colles,
Vicinumque amnem, et multum superesse diei.
Quanquam etiam noctem si fas traducere nostris
Montanis laribus, non pauperis, inquit, agelli
Munera, quinctiles uvae, melimelaque deerunt,
Atque olera et poma, et foliis suffultus acernis
Lectulus; et quidquid locus asper, et invida votis
Pauperies tulerit. Dein subdidit, ut prope silvam
Jordanis nulli deprensa huc usque per auras
Vox incerta sonet, scopulisque et montibus erret.
Multi illam studio nequicquam, atque aure secuti
Saepius amnicolae; multos per devia traxit,
Implicuitque error. Sed non his Diva moveri,

V. 121. Edit. Veneta: Quid tantum haec potuit.
V. 122. Solymis. Cf. I, 6.
V. 133. Aenon (Αἰνὼν) urbs prope Jordanem juxta Salim (IV, 48). Cfr. Joann. 3, 23. Ludov. de Dieu Critica sacra p. 495.

Nec comitem velle; et manibus retinere sequacem,
Ac vultu officiosa bono lenire dolentem,
Seque brevi reducem multis promittere. At illa
Obsequio precibusque moras innectere: Saltem
Vicinum liceat tecum mihi scandere montem,
Unde, ait, angustum callem flexusque viarum
Ostendam paucis compendia nota: meisque
Interea, supplex oro te, quaeso, parumper
Filiolum committe ulnis, qui jam nequit ultra
Exiguos passus trahere inter saxa. Nec istud
Diva tulit, variisque modis fallebat amantem,
Quam nullis poterat procul inde avellere dictis.
At saltem, ajebat, saltem hoc ne despice lactis
Lassa viae exiguum, quod fas mihi porgere donum:
Ipsa manu expressi nuper. Simul haec, simul urnam,
Et situlas posuit, mersitque in lacte salignam,
Eduxitque gravem pateram, quam Virgo prehendit,
Admovitque labris Pueri; tum nectaris hausit
Quod reliquum fuerat: nec, rursum ut sumeret, ullae
Obtinuere preces. Rursum instaurare querelas,
Rursum inopes offerre lares. Sed denique victa
Haud tenuit lacrimas; atque utraque brachia tendens
Exigui pretium potus (ah quale!) poposcit.
Mater, ait, quando famulam comitemque recusas,
Nec te alias reducem forte unquam lassa revisam;
Per te, per superos, perque haec gemina ubera, pulcher
Quae Puer hic quondam pressit; permitte puello
Suaviolum libare tuo: nil poscimus ultra.
Quid non ingenuus candor moresque pudici,

---

V. 154. Edit. Venet. pro mihi scandere l. conscendere.

V. 172 in Edit. Venet. desideratur.

V. 178. Ed. Venet. pro ingenuus habet: virgineus.

Caraque pastorum simplex audacia possint!
Nam meruit felix (quod non permiserat ulli
Coelica sors) unum labris, duo ferre tenellis
Oscula pura genis. Tum candida Parthenis: I nunc,
Sisque memor nostri. Procul hinc scatet exiguus fons:
Quam primum invenies, pecora illuc cogito: postquam
Grex omnis biberit, vitrea te respice in unda.
Dixit, et in viridem collem vestigia torsit!
In collem, unde amnis longas nemus inter opacum
Cernitur ire vias, et amoena serpere valle.
Multa movens animis ibat quoque rustica virgo,
Fragrantemque via redolentis lychnidis auram
Attonita hauribat: qualem violaria nulla,
Nec rosa, nec saliunca recens, nec amaracus halant.
Unde odor hic mirus? quae vis? quae copia florum?
Unde aura e coelo adspirans tam suaviter ori?
Constitit explorans vestes, et singula mirans
Ter circumspexit; patulis ter naribus ambas
Admovitque manus: sed quis deprenderet unquam?
Quippe labris fragrans ille haeserat halitus; illis,
Queis tria Nazario nuper dedit oscula Flori.
Venit ad umbrosam platanum, quam subter opacus
Alluerat rivus: rivum obsedere capellae
Continuo, saturique haedi: atque, ubi pura quievit
Lympha vitro similis, super astans vertice prono
Se liquido in speculo vidit: deceptaque visu
Restitit extemplo. Vix primum credidit undae:
Lumina bis vertit retro, si forte puella
A tergo peregrina foret, quae cerneret amnem;

V. 179. Ed. Venet. habet:
Ingenuusque amor, et simplex audacia possint!
V. 190. Edit. Venet. pro lychnidis l. aromatis.
V. 194. Ed. Venet. omittit.
V. 207. Ed. Venet. legit: insisteret amni pro cerneret amnem.

Bis mersit furtiva manum, si forte sub undis
Altera virgo foret, stagno quae pulchra lateret.
Non erat illa prior. Dictu res mira! capillos,
Ora, genas, vultus speciem mutaverat omnem.
Nympha videbatur, quales finxere poëtae
Corycias nymphas venatricemque Dianam.
Quae nova mi facies! quo nuper fusca recessi?
Atque ubi meme ipsam demens oblita reliqui?
Me rapuit certe latrunculus ille Puellus,
Atque aliam mihi substituit. Sic illa furebat;
Miraturque anceps, cur fons crystallinus illi
Non aliter vestem pariter, crateraque pingat.
Ter frontem rugis contraxit, terque serena
Explicuit, formam experiens; ter candida risit:
Mille modis variis finxitque corallina labra,
Composuitque comas, humerisque aptavit utrisque,
Intenditque oculos, et movit eburnea colla:
Quasque magis decuit formas se flexit in omnes,
Nec potis est amens viridi discedere ripa.
Discessit tandem notis incognita silvis.
Utque domum rediit, matremque patremque fefellit,
Cuncta renarravit; dubium quibus abstulit omne
Vox prior, et naevus faciei in parte relictus,
Nativaeque genis picae. Miracula fontis

---

V. 213. Edit. Veneta:

Corycias divas nemorum armigeramque Dianam.

V. 213. Coryciae nymphae antrum Corycium ad Parnassi montis radices in Phocide, Graeciae regione, incolebant. Ovid. Heroid. 20, 221. Metam. 1, 320.

Diana (Ἄρτεμις) filia Jovis et Latonae, venando silvas incoluisse fertur, quam ob rem silvarum et nemorum Dea putabatur. Mela 1, 17. Cic. de nat. Deorum, 2, 27.

V. 218. Edit. Venet. pro anceps l. etiam.

V. 224 in Edit. Venet. omittitur.

Continuo pagos vulgavit fama per omnes;
Atque illuc multae indigenae venere puellae,
Quae miserae elusis votis in tecta redibant.
Multi etiam thalamo pulchram sibi jungere nympham
Optavere proci, quos illa exosa maritos
Aversata fugit, nemora inter frondea vitam
Exactura brevem; namque illam funere acerbo
Mors tulit impatiens septem post invida lunas.
Historiae haec series. Nomen longinqua vetustas
Improba surripuit, quae saxa atque aera maligno
Dente terit. Verum ne, virgo, ignota vageris,
Dictaque ad arbitrium vulgi, ut solet, ora pererres,
Non ego de plebe obscura, nec perbrevis aevi
Cognomenta feram. Magnum et memorabile nomen
Ipsa suum, agresti quamvis, tibi commodat Anna
Auria, Pamphyliae gentis decus; ipsa vocari
Pamphyliam sinit, et patrio cognomine donat.
Tuque, genus claro Heroum de sanguine ducens,
Silvestris meritum ne dedignare puellae:
Namque hic antiquus mos cunctis vatibus, aevum
Adversus ferrugineum immortalibus uti
Nominibus, quoties Musis gentilia desunt.
Nec mihi fas modo (nam properant jam proxima metae
Carmina) longaevi causas evolvere juris.
Est tibi Romuleo in Pindo germanus Apollo,

---

V. 234. Edit. Venet. pro miserae l. tamen.

V. 248. Pamphylia regio Asiae minoris ad mare mediterraneum.

V. 256. Pindus (Πίνδος) mons Thessaliae, in quo, uti in Parnasso et Helicone, Musae collocantur. Plin. prooem. 4 et ibid. 8, 15. Virg. Eclog. 10, 11. Romuleus Pindus i. q. sedes Romm. poëtarum.

Germanus Apollo. (Cova adnotat: Bened. Pamphylius S. rom. eccles. Cardinalis). Pamphilius (nat. 1653, mort. 1730) poeta et orator, Epigrammata, Odas, Orationes aliaque scripsit. Cfr. Mandosii bibliotheca romana.

Cui cithara, et Tyrio fulgentes murice vittae;
Illius ergo soror, pariterque Ligustica Phoebe
Magna Quirinali scitare oracula colle:
Vatibus ille praeest sacris, teque ista docebit.
Talibus illecebris blandissima Virgo solebat
Jam tunc illa suos felices reddere amantes;
Quo nos extimulet pariter tam pulchra cupido,
Exiliique moram fallat spes alma fruendi.
Nam si quando domos superas det adire beatas
(Spero equidem) Puer ille Deus, quem reddere cantu
Praesentem, ut possum, caeca in regione laboro;
Quanta erit illa animis exundans dia voluptas
Cum Genitrice tua, et tecum, pulcherrime rerum,
Per magni stellata poli convexa vagari,
Et reputare annos, et laeta, perennia lustra,
Aeternumque illic obeunda expendere secla!
Quam vobis, superi, invideo! vobisque, tenelli
Lactentes, Libitina manu quos vellit acerbos,
Ut ferrugineas violas, ut persica nata
Primitias ruris, veniens quae sedula agrestis
Urbanis dominis consuevit ferre canistris,
Laetitiam exactae brumae spemque uberis anni.

---

V. 257. Tyrio murice. In mari circa Tyrum, urbem maritimam Phoeniciae, laudatissimae purpurae capiebantur, ex quibus optimus color Tyrius dictus. Propert. 4, 5, 22. Ovid. Met. 6, 222.

V. 258. Ligustica, i. e. ad Liguriam pertinens, regionem Italiae alpibus maritimis, Apennino, Etruria et Ligustico mari circumscriptam. Phoebe Cf. II, 1.

V. 259. Collis Quirinalis (Monte cavallo) unus ex septem Romae urbis collibus. Ovid. Fast. 2, 511.

V. 263. Edit. Venet. pro tam pulchra l. divina.

V. 265. Edit. Venet. pro superas l. fessis.

V. 274. Libitina i. e. Proserpina, Plutonis uxor, regina Inferorum, mortuis praeesse putabatur: metonymice pro morte ipsa. Juven. 14, 122. Hor. Od. 3, 30, 6.

(Quantum restat adhuc lasso maris aequor arandum!
Septem adeo vitae superesse miserrima lustra
Quantum fila trahens in longum extendere possum)
Fingo mihi; atque his exactis, cum spiritus istis
Se primum exuerit membris, erit alea jacta
Alterutra, heu! seclis jam non revocabilis ullis.
Tu mihi Divinum Puerum, sanctissima Mater,
Redde, oro, facilem; fac, oris anhelitus ille
Supremus sit Virgo tuus; Te nomine saltem
Ter vocet; et toties repetat vox ultima Jesum.
Me rapuit subitus sublimem in sidera fervor:
Nunc Mariam et Puerum sacra in deserta sequamur,
Et celeremus iter; nam lux jam sera propinquat,
Jordanesque procul nebulis surgentibus albet.
Huc Peregrina Parens jam lassa ad fluminis undam
Venerat, et tenera paulum requierat in herba,
Culmina suspiciens sacri procul ardua montis:
Cum pueri vox clamantis audita per omnes
Anfractus virides nemorum auditumque canorum
Per juga, per valles carmen: „Sit semita recta,
Aequalesque vias Hominique Deoque parate."
Haec erat illa sonans per celsa cacumina eremi
Vocula, quae plures saepe errabunda fefellit.

---

V. 292. Jordanesque. Cfr. II, 351. Edit. Venet. mutat surgentibus albet in: albescit aquosis.

V. 298 seq. Sit semita recta etc.
Matth. 3, 3. Marc. 1, 3. Luc. 3, 4.

V. 301 inter et 305. Edit. Venet. hosce sex versus, qui in ed. princ. Mediol. non leguntur, addit:

Nam modo de scopulis resonat, nunc exit ab antris,
Perque umbras nemorum, lucosque lacusque resultat.
Haud secus interdum densis abscondita ramis
Parva avis ingentem replet modulamine silvam.
Ipsa latet, trepidis nisi quantum intermicat alis,
Perque nigras volitat frondes umbrosaque tecta.

Atque haec vox eadem perplexum denique nodum,
Exacto bello postquam bis fractus Avernus,
Nuncia divini Solis postrema resolvet.
Et jam vesper erat, clivo cum visus ab alto
Parvus eremicola ad fluvium decurrere anhelus,
Laetitia exultans; cui villis hirta cameli
Tergum pellis obit, sunt cruscula nuda lacertique,
Et parva in manibus crux lignea nexa papyro.
Jamque aderat cursu exhaustus, gressusque tenere
Per declivia vix poterat, tenuitque ruentem
Parthenis ipsa ulnis, gremio complexaque toto.
Una omnes pariter viridem conscendere collem.
Hinc Jesum, hinc tenerum, Virgo, trahis alma nepotem,
Speluncamque subis. Intus scabra pumice tecta,
Exiguusque sonat rivus: circum humida tophis
Saxa madent vitreis guttis: cras ire secundo
Unanimes Jordane parant, dehinc vespere colles
Circum ire umbriferos, perque herbida prata vagari
Condicunt. Nunc somnus adest, quem confraga vallis
Conciliat, passimque altis de rupibes acti
In praeceps rivi. Tacitis it Cynthia bigis
Picta vadis late stagnantibus: illius altis
Clara interlucent argentea lumina ramis.
Atque his deliciis placida dum nocte fruuntur,
Abrami interea sub terris abdita regna
Nuncius aetherius coelo delapsus adibat,
Captivis Patribus summi mandata Parentis

---

V. 312. Edit. Veneta:
Parthenis ipsa ulnis, gremioque amplexa recepit.

V. 322. Cynthia i. e. Diana, Luna. In Cyntho, monte Deli, Apollo et Diana nati altique sunt: hinc Cynthius ille appellatus, haec Cynthia. Plin. 4, 12, 22. Hor. Od. 3, 28, 12.

V. 326. Abdita regna. Cf. Ps. 16, 10. (Vulg. 15, 10) I Petr. 3, 19.

Laeta ferens. Urbs antiquis circumdata muris
Ima in valle jacet; quam primus dicitur hospes
Abeliam dixisse suo de nomine, caesus
Invidia fratris. Turres et tecta domorum
Praetexunt ederae et myrti, semperque virentes
Intonsae pinus, oleaeque aeternaque laurus.
Aëre sed tristi lux intermortua fulget,
Albentesque lacus circum ardua moenia lucent:
Atque oculis quantum pacatus subjacet amnis,
Aëriae in ripis platani, atque aurantia mala,
Egressaeque altis stirpes arbustaque muris
Incumbunt stagnis, et opaco tegmine inumbrant.
Ipse sui in foribus lethi caelaverat Abel
Casum infelicem. Genitor super, orbaque mater
E campo rediens, spicis et sesamo onusta,
Flere videbatur juvenis miserabile corpus
Sanguine turpatum. Mors primum egressa sub auras
Miratur terras, sua regna: insigne cruentum,
Possesso defixa agro stat saeva securis.
Multa in vestibulo dextra laevaque vetustis
Extuderat pariter saxis, et sculpserat aere.
    Protinus impulsis valvis bipatentibus Ales
Coram introgressus matrum juvenumque piorum
Concursu in magno medius stetit; atque ita densum
Umbrarum affatur vulgus, „Laetissimus adsum
„Nuncius, Abramidae. Quamprimum innupta puella,
„Omina laeta ferens, lorica insignis et hasta,
„Huc aderit, primo sublata in flore juventae.

---

V. 330. **Primus hospes** scil. **Abel**, Adami filius. Cf. Gen. 4, 1 — 16. Matth. 23, 35.

V. 345 inter et 346. Ed. Venet. interjecit:
Piniferi haud longe stans alto in vertice montis

V. 354. **Innupta puella** i. e. **Judith**. Cf. Lib. V, 399 sqq.

„Illa triumphato victrix memorabit Averno
„Illatam cladem, et vestris se Manibus addet.
„Vos tamen interea, quorum de stirpe puellus
„Prognatus Deus, hinc mecum decedere, Patres,
„Paulisper superi indulgent. Datur ora nepotis
„Cernere, colloquiisque frui. Vos inter amoenos
„Perpetuo autumno colles, secretaque rura
„Abscondam, et coram opportuno tempore sistam."
His dictis festus sublatus clamor ad auras,
Et simul exortus fletus: nam turba relicta,
Multa gemens, supplexque manus tendebat utrasque
Divini Pueri, atque aurae coelestis amore.
Praecipue Infantum, quos primo in limine vitae
Regis Idumaei jussu ferus hauserat ensis,
Flebant exigui manes umbraeque pusillae,
Vulnera adhuc niveis humeris defixa gerentes:
Quos circumfusos divellere dulcibus Ales
Promissis, dictisque bonis retinere laborat.
„Parcite lacrymulis nunc o, mea cura, puelli:
„Vos ego, deliciae, et miserae Rachelis amores
„(Haud mora longa) iterum regna haec antiqua revisens
„In lucem referam, et socios comitesque beatis
„Coelicolis addam, cum se pulcherrimus Infans
„Nazareis tandem manifesto Numine reddet."
Sic ait. At laeti proavi sanctique parentes
Virginis ingressi latebrosae viscera terrae,
Multa patrum, et turbae insontis mandata Puello,
Votaque commissa, et gemitus lacrymasque ferentes,
Exuviis vincti et manicis squalentibus ibant.

---

V. 357. Averno. Cf. III, 60.
V. 370. Regis Idumaei. Cfr. III, 409.
V. 372 omisit Ed. Venet.
V. 376. Rachelis, filiae Labani. Cf. Gen. 29, 16 sqq. Matth. 2, 18.

Ventum est post flexus varios in luminis auram,
Qua dives campis vasto lentissimus alveo
It Phison, silvaeque lacum montesque coronant.
Hinc iter ingressos adverso flumine eoum
Ad solem ductor vestigia tendere jussit.
Ipse pios manes vario sermone tenebat,
Multa arcana docens; nimirum ut prodere sese
Divino fulgore Puer decreverit almus
Moerenti patriae, ut frendens nequissimus atris
Carceribus ruptis totoque Acheronte refuso,
Praesagus magni excidii proruperit Orcus;
Utque olim ventura dies, quae cuncta tenebris
Obsita paulatim demum caligine solvet.
Quam late, ajebat, populis atque urbibus ingens
Undique telluris nunc circumfunditur orbis,
Oceanum super, et noti confinia mundi,
Coeca superstitio terris noxque incubat atra.
Pars coelo errantem lunam fulgentiaque astra,
Pars pecus undosi pelagi volucresque ferasque,
Semiferos homines, stirpes arbustaque adorant.
Exoptata diu tandem lux alma propinquat,
Qua nova Relligio penetralibus inferat ignes
Sacrilegis, et fana Deum delubraque vertat.
Jamque procul lauris umbratum tempora cerno
Insignem pietate Ducem, quem Baetis in amplum

---

V. 387. Edit. Venet. pro vasto l. vitreo.

V. 388. Phison unus ex quator fluviis, qui e terrestri Paradiso egrediuntur. Aliis Nilus, aliis Ganges, aliis Phasis. Gen. 2, 8. c. 3, 23. Ugolini thesaur. antiqq. sacr. Tom. VII.

V. 395 et 396. Acheron. Cf. III, 494. Orcus. Cf. III, 200 et 201.

V. 410. Insignem pietate Ducem i. e. Theodosium Magnum, Hispanum, qui a Gratiano Imperatore ann. 379 in regnum adscitus devictis Gothis doctrinam remque christianam imprimis adjuvit. Cf. Theodor. hist. eccl. V, 18. Sozom. hist. eccl. VII. Baetis (nunc

Terrarum imperium mittet, caesoque tyranno
Victor aget quondam Tiberina ad flumina currus.
Hic Diis excidium reliquis, arisque ruinam
Supremam indicet: Cerealia sacra, Hecatombas,
Orgiaque, et priscis eradet Adonia fastis,
Solemnes ritus. Tum libera cuique potestas
Fatidicas quercus, sacros exscindere lucos,
Vim templis inferre, aurum asportare profanum.
Turba Deum dejecta aris, pars aere recuso
Romanas aquilas, et Caesaris induet ora,
Pars thermis accedet honos: late undique victrix
Cuncta solo exaequans pietas, invecta per urbes,
Per medios Grajos, Aegyptum, atque Arcadas ibit,
Ruderibus super aggestis tumulisque Deorum.
Ante tamen quanto pinguescent sanguine campi
Europae atque Asiae! quantus cruor ibit in omnes
Hesperiae fluvios! Circis mediisque theatris
Objecti pardis alii, candentibus igni
Usti alii lamnis, rapti in diversa quadrigis

---

Quadalquivir) fluvius Hispaniae, qui in confinio Tarraconnensis provinciae oritur. Plin, 3, 1, 3. Mart. 12, 99.

V. 412. Tiberina ad flumina. Tiberis (Tybris, Tibris, Tevere) fluvius Etruriae ex Apennino ortus aliisque fluminibus auctus Romam interluit. Plin. 3, 5, 4. Hor. Sat. 2, 1, 7.

V. 414. Cerealia sacra i. e. sacra Cereris (Δήμητρος) inventricis et Deae agriculturae. Cic. N. D. 2, 26. Ovid. Fast. 4, 497.

Hecatombe (ἑκατὸν βοῦς, ἑκατόμβη) sacrificium, quo centum boves vel aliae victimae immolabantur. Herod. 4, 179.

V. 415. Orgia (Ὄργια) sacra nocturna Bacchi, quae variis ebrietatis signis celebrabantur. Catull. 64, 259. Virg. Aen. 6, 517.

Adonia (τὰ Ἀδώνια) sunt festa Adonidi dicata et quotannis mense Junio Antiochiae quondam celebrata. Hieronym. in Ezech. 8, 13, 14. Kreuzer Symb. II. p. 86 seqq.

V. 423. Arcadas. Arcadia regio in media Peloponneso.

V. 427. Hesperia i. e. Hispania itemque Italia, quam Virg. (Aen. 1, 573) magnam Hesperiam vocat.

Per fora, conscissi loris, data pabula flammis.
Heu pietas! circum tedas uncosque rotasque
Stabunt orantes matres teneraeque puellae
Carnifices lassos certatim sole cadente
(Dum sinit usque dies) supponere colla securi,
Adjungique aliis. O mors, ubi terror? ubi illa
Formidata acies ferri, veteresque triumphi?
At veluti nivibus tectus, gelidisque pruinis
Vere novo pubescit ager, seque exerit annus
Laetior; haud aliter saeva inter funera vultus
Alma fides tollet. Scythicis florescere eremis,
Thebanisque jugis deserta horrentia cerno.
Ille feras posito ingenio mansuescere coget:
Hic mare fluctisonum sibi remex, atque carina
Sulcabit medium: hic nimbos, hic flumina sistet.
Illyrium, Eurotas, Portus Lunae, ardua Lygdos,
Et Phrygii, et Parii montes vix marmora templis
Sufficient. Venient annis quoque tempora seris,
Cum super oceanum, quo nondum accesserit auri
Regnandique furor, felicia carbasa tendet
Religio. Jacet extra orbem sine nomine tellus

---

V. 440. Scythicis. Cf. III, 179.

V. 441. Thebanisque jugis. Thebais regio superioris Aegypti contermina Aethiopiae et desertorum Africae. Plin. 5, 9, 9.

V. 445 et 446. Illyrium (Illyricum, Illyria) ampla regio ad mare adriaticum inter Tergestum et Macedoniam. Cellar. Geogr. antiq. lib. 2, c. 8. sect. 5. Eurotas (hodie Basili potamo), fluvius Peloponnesi, Spartam alluens, cujus ruinae haud procul a Misitra extant.

Portus Lunae. Luna (hodie Lavenza) urbs maritima Etruriae portu et marmore nobilis. Plin. 36, 6.

Lygdos (λύγδος) sive lygdinus, lapis candidus in insula Paro, quae una Cycladum in mari Aegaeo marmore candido clara est, quod et lygdinum et lychnites appellatur.

Phrygii montes. Cf. I, 263.

V. 450. Sine nomine tellus i. e. Peruvium (Peru) regio maritima Americae meridiem versus.

Exul adhuc ponto, unde auro super illita primo
Augustae niteant Romana Sacraria Divae.
Quin etiam extremos superabit puppibus Afros,
Litora curva legens, jubar allatura remotis
Gentibus, inque omnes sonus ibit coelicus oras.
Talia narrantem dextra laevaque frequentum
Circumstat populus Patrum, comitesque sequuntur;
Ignari, alatus ductor quas tendat in oras,
Quove ferat; pariterque viam cursumque tenebant.

---

V. 452. Romana sacraria Divae. Templum S. Mariae Majoris Romae.



# LIBER QUINTUS.

## ARGUMENTUM.

**Aves tartareae Virginem in valle cum d. Joanne Baptista observant, idque in castris nunciant, et bellum sollicitant. Deus Pater Angelo mandat, ut coelestem Puerum cum Genitrice in Paradisum terrestrem transvehat. Juditha in somnis ab Angelis armatur adversus hostes. Describitur iter aëreum in terrestre Elysium, et clades Daemonum in valle Aenonis.**

Rem prope coelestem si cui spectare voluptas,
Huc celer approperet, Reginamque aetheris illa
Florifera in valle aspiciat, quae colligit herbas.
En, niveos succincta sinus intenta labori,
Ut sese inclinat passim, qua primula visa;
Aut visus crocus, aut apium; tenerumque nepotem,
Qui comes ingreditur, propius dignoscere anethum,
Fragrantemque docet thymbram montanaque fraga.
Ocyus accelerate gradum, nil pulchrius unquam
In terris visum: viridem hunc ascendite collem:
Huc oculos, donec pulcherrima durat imago.
Heu, cur tam subito species tam dia recessit!
Heu, gremio redit in penetralia dives onusto!
Nam vespertinis jam rorant gramina gemmis,
Atque humiles circum nebulae prata humida opacant.

---

V. 12. Edit. Venet. pro tam dia l. divina.

Sit male praecipiti nocti, quae sole remoto
Talia nil curans mihi surripit invida velo.
Ecce autem excelso in ramo Cocytia cornix
Constiterat, foedusque corax, quas undique saevus
Sparserat excubias ductor, vigilesque locarat.
Ut vero incolumem Divam agnovere volucres
Tartareae e pratis reducem, intrantemque penates,
Protinus insonuere alis: Acherusia castra
Desertis adiere locis, raucumque locutae
Nubivagum in vulgus, quae nuper visa tulere.
Nec minus interea demisso vertice tristes
Exploratores lemures, quorum improbus unus
Obscoenae in speciem vetulae jam liquerat auras,
Nazario e pago delusi in castra redibant:
Et male rem gestam, atque aedes patriamque relictam,
Sublatumque fuga Puerum cum Matre ferebant.
Diditur extemplo rumor, fragor undique et ingens
Concursus stygius picea ad tentoria regum:
Bella volunt, poscuntque feri: Nunc tempus inermes
Praedari inclusos latebris; nunc, siquid Olympus
Contra ausit, tentare juvat. Pars nubila densat,
Horrificumque serit nimbum, pars nititur hastis,
Pars ferrugineis contis. Vox omnibus una,
In vallem Aenonis transferre horrentia castra,
Et celerare viam nimbis. Nemore abditi opaco
Concilium inter se proceres de rebus agebant.

V. 18. Cocytia. Cf. III, 307.
V. 22. Tartareae. Cf. III. 200 et 201.
V. 23. Acherusia. Cfr. III, 494.
V. 27. Lemures. III, 57.
V. 33. Stygius. III, 112.
V. 35. Olympus. IV. 92.
V. 39. Aenonis. IV. 133.

Haec Pater omnipotens cernens de vertice Olympi,
Impia bella manu statuit confundere inermi.
Sed Puerum interea diva cum Matre per auras
Trans Orbem profugum Paradisi abscondere in hortis
Inter amoena jubet prata aeternosque recessus.
Ergo ad se Genium Mariae vocat, atque ita fatur:
Vade age, sidereo in terras delabere curru,
Progeniemque meam cum Virgine praepete nimbo
Transfer in Elysii terrestris protinus agros,
Quo Patrum Abramidum nuper praemisimus agmen:
Atque illic lateant, donec desaeviat atri
Tempestas belli. Socios quoque valle receptos,
Quisque sua ut maneat vigil in statione, moneto.
Atque ubi concordes hostes temeraria bella
Excierint, vos hanc terris avertite pestem,
Ne solem ulterius, puramque obnubilet auram.
Dux vobis imbellis erit virguncula: tali
Fas duce perculsos probro exturbare superbos.
Sic ait Omnipotens; nec fas mortalibus alta
Scrutari arbitria, et causas tentare repostas.
Credibile est tamen humani voluisse timoris
Indicio Numen fugitivum abscondere Diti,
Ne Pueri vires Divina arcanaque nosset;
Credibile est etiam veteris voluisse parentis
Regna aperire novo, nulli visa hactenus, Adae;
Quae prior ille miser specie delusus inani
(Causa mali conjux) aeterno clauserat aevo.
Nuncius ergo Ales per opaca silentia rerum,
Aetheriis bigis coeli per inania vectus,

V. 43. Edit. Venet. pro confundere legit: deludere.

V. 50. Elysium (Ἠλύσιον, μακάρων νῆσοι) locus in mediis Inferis omni felicitate plenus piisque hominibus post mortem destinatus (Serv. ad Virg. Aen. 5, 733), h. l. pro Paradiso terrestri.

V. 63. Diti. I, 28.

Ante ortum solis Libano super astitit; atque hinc
Alipedes flexit vitrei Jordanis ad undam
Zacharidae sub tecta, hilari insonuitque flagello:
Primaque Virgo Parens, dudum vigil, ora fenestris
Exeruit; sed adhuc Pueros sopor altus habebat
Fagineas inter frondes muscosaque saxa.
At tibi, fortunate Ales, penetrale subire
Arcanum licuit, placidosque abrumpere somnos:
Surge, age, sancte Puer; Genitor supremus ab alto
Me tibi demittit solio: procul ocius ire
Teque tuamque jubet Genitricem: dux ego curru
Sublimes ducam liquido aëre. Sic ait; exin
Protinus accelerare fugam: pulcherrima Virgo
Induere investem Jesum, haud mora comere raptim
Caesariem, tenerosque pedes vincire cothurnis,
Nescia adhuc quo jussa ferant. Dux penniger instat,
Itque reditque instar succincti ad munus ephebi:
Ipse etiam impatiens sonipes fodit ungula arenam
Ante fores, phaleraeque sonant, atque aurea fraena.
Et jam purpureo lux prima rubebat eoo
Agricolis solem revehens opera atque labores.
Jamque instaurati somno, stratisque relictis,
Nazarii agrestes, pars pinguia in arva juvencos,
Pars ad aratra boves stridentia plaustraque agebant.
Hos inter Juditha oculos nondum excita prorsus
Tergit adhuc niveis digitis; simul aurea vittis
Tempora cingebat, simul haec insomnia pulchra

---

V. 71. Libanus (albus) et Antilibanus, montes excelsi, cedro arbo abundantes, aequi inter se perpetuoque ordine per Syriam procurre tes. Deut. 11, 24. Ptolem. 5, 15.

V. 73. Edit. Venet. pro hilari insonuitque flagello l. procul s nuitque flagello.

V. 84 seqq. Edit. Venet. contrahit:
Induere investem Jesum, Dux penniger instat,

Narrabat Matri: Mater, quae mira per umbram
Haec mihi nox tulit in somnis spectacula rerum!
Quam se coelesti Maria obtulit obvia veste:
Qui capitis decor et cultus! qui gressus eunti!
Illa mihi in prato ter centum visa puellas
Inter virginei moderatrix agminis album
Vexillum praeferre manu: meque illa sequacem
Ultro invitabat dictis. Vin'tu quoque nostro
Adjungi, Juditha, choro? pariterque referri
Has inter comites Divas, quas undique campis
Concordes errare vides? Sic illa serenis
Dicere visa modis: cui miro concita amore
Assensu ardebam tacito dare nomen, et ipso
Vox erat in vultu: at conanti reddere voces
Verba pudor tenuit. Castis tunc oscula labris
Amplexusque dedit: primamque recensuit inter
Belligeras socias. Dextra laevaque volucres
Protinus armigeri, hic chlamydem, cui candida lino
Crux medio inserta; hic torquem galeamque comantem
Ferre videbatur. Visus quoque Jesulus ore
Sic fari roseo: Nostros hinc strenua in hostes
Bellatrix haec arma geres. Nec plura locutus:
Nam subito (visu mirabile!) currus ab alto
Adstitit ante oculos radiis atque axe rotarum
Ex auro gemmisque hyali stellisque coruscans.
(Me miseram!) somnus media inter talia fugit;
Nec sibi quid poscant haec arma aut praelia novi.
Talia flavicomo religans sibi vertice crines
Intortos spiris referebat somnia Judith.
Interea super Euphratem Tigrimque sonantem
Penniger auriga ad solis cunabula verso

---

V. 127. Euphrates. III, 107.

Tigris (Τίγρις i. e. Medorum et Armenorum lingua sagitta) in mon-

Temone auratos currus per inania agebat.
Non ita caeruleam Libycus rapit aethere nubem;
Aut mare velivolum tanto secat impete pinus,
Cui Notus incubuit; nec Belgica rustica ferreis
Ocyor it soleis glaciato missilis amne,
Horriferae Scaldim cum vis gelat aspera brumae:
Quantus agit profugos coeli per inane volantes
Impetus aërii trans ardua nubila Olympi.
Perpetuo flexu silvas et flumina magna
Abscondunt. Turres atque altae moenia Susae,
Nembrotique arces, frondosaque culmina Zagri
Longe a tergo ierant: ad laevam Caspia tellus,
Atque pharetrati Medi Hyrcanique recedunt.

---

tibus Armeniae ortus et Euphrate denique receptus in sinum persicum influit. Plin. 6, 27, 31. Jos. Antiqq. 1, 1, 3.

V. 130. Libycus i. q. Africus scil. ventus. Libya (Λυβύη) ea Africae pars, quae est inter Aegyptum et Syrtes: item Africa universa. Plin. 5, 6, 6. Virg. G. 1, 240.

V. 134. Scaldis (Schelde) fluvius Belgarum celeber.

V. 135. Edit. Veneta: profugos liquidi per inania coeli.

V. 138. Susa (τὰ Σοῦσα) urbs Asiae ampla, sedes Persarum regum. Dan. 8, 2. Strabo 15, 727.

V. 139. Nembrod (Nimrod) urbes condidit. Gen. 10. Jos. Antiqq. 1, 4, 2. Zagrus mons Mediae. Plin. 6, 27.

V. 139. Edit. Venet. pergit:
Praetereunt. Nemorosi aditus faucesque malignae
Apparent, ubi quondam hasta trajectus equestri
Ille dabit meritas poenas, terrasque levabit
Sacrilegus Caesar *) fidei desertor avitae.
Hinc super Eulaeum, Hippophagos, Arachosiaque arva,
Carmanosque volant: ad laevam Caspia tellus,

*) Julianus Apostata.

V. 140. Caspia tellus. Caspii (Caspiani) populi Asiae in Hyrcania et in Parthiae Armeniaeque confinio ad mare Hyrcanum sive Caspicum. Mela 1, 2. Virg. Aen. 6, 799.

V. 141. Medi arte sagittaria insignes Mediam, Asiae regionem, Armeniam, Parthiam, Hyrcaniam et Assyriam incolebant. Strabo, 11, 52. Hyrcani regionem sub Caspio mari et supra Parthiam tenebant.

Jamque peragrarant Persas, jamque ultima regna
Memnonis eoi; cum primum lenior aura
Sentiri procul e cedris gratissima coepit;
Qualem e longinquo nautis venientibus afflant
Ad mare odoratis Ligurum nemora aurea citris.
Mox paradisiacae volucres per caerula visae,
Nunciae ab Elysiis hortis. Non India tales,
Nec variis pennis tot dives America vestit
Purpureis rostris, minioque rubentibus alis.
Miratur capiturque locis tener incola eremi,
Quem flentem Virgo miserata receperat alma:
Haeccine Nazaridum regio, inquit, avitaque tellus?
O Mater, quam laetus ager! quae copia rerum!
Quae nemora et vitrei fontes! Cui candida Virgo
Dissimulans: Equidem longe ista beatior ora
Quam tua rura, inquit; nebulae queis semper opacae,
Putribus et circum stagnis gravis incubat aër.
Ille autem gestire animis, ut gestiit alvo
Quondam materna, atque oculis per cuncta vagari,
Et digitis nunc haec, nunc illa ostendere parvis.
Interea magis atque magis subsidere currus:
Praecipites caelo bijugos sed parcius Ales
Accelerabat agens stimulis, quo tota videri
Jam regio ex alto posset ditissima pomis

V. 142. Persas. III, 102.

V. 143. Memnonis eoi. III, 408.

V. 146. Ligures sunt Liguriae populi, qui regionem Italiae alpibus maritimis, Apennino, Etruria et ligustico mari circumscriptam incolebant. Flor. 2, 3. Plin. 3, 5, 7.

V. 148. Elysiis. V, 50.

V. 152. Ed. Venet. legit:
Quem pariter curru Virgo miserata locarat.

V. 158. Edit. Veneta:
Et circumfusis stagnis gravis incubat aër.

Arboribusque sacris liquidisque uberrima venis.
Non ulla Italiae facies, non amne quieto
Quam placidus secat Eridanus; nec laetior illa
Ante alias Laudensis agri, cui pinguia lactat
Pascua tot mammis, quot plenis Addua rivis:
Addua Lemene sacris celeberrima Musis,
Qui cecinit magnum Numen, felicibus ausis
Arcana ingressus Divum; dehinc terna rosarum
Nexuit aetheriae serta immortalia Divae;
Quique animos nobis audendi talia vates
Adjecit, suasitque ratem deducere in altum,
Qua via Pieriis nondum sulcata carinis.
Perpetui in gyrum montes felicia rura
Verticibus vallant, quorum vix summa viator
In juga bis septem perreptet solibus; inde
Umbrifera atque ingens vallis, rursumque minaces
In gyrum ductae cautes; atque inter utrumque
It vallum medius lacus ingens. Plurima pinus,
Aesculus, et nunquam cava robora passa securim,
Se viridi e ripa vitreo speculantur in amne,
Perpetuisque sonant avium garritibus undae;
Quas fulicae assuetae silvis mergique loquaces

---

V. 168. Eridanus i. e. Padus (Po), maximus Italiae superioris fluvius.

V. 169. Laudensis ager circum Laudem Pompejam,* urbem Italiae superioris, hodie Lodi.

V. 170. Addua (Adda) fluvius Insubriae, regionis Mediolanensis, in Rhaetiae Alpibus ortus per Larium lacum (L. di Como) fluit et Pado miscetur. Sidon. I. ep. 5.

V. 171. Franciscus Lemene, comes, cujus memoriam Ceva peculiari libro (Memorie del Signore Conte Francesco Lemene) celebrat. Cfr. Memoires pour l'histoire des sciences et des beaux arts. Paris 1738. p. 325.

V. 177. Pierius i. e. ad Musas spectans, utpote quae Pierides a Pieria, regione Macedoniae, vel a Pierio monte, vel a Pierio, Apollinis filio, appellantur. Serv. ad Eclog. 7, 21. Hor. Od. 4, 3, 17.

Assiduoque anates tranant hinc inde volatu.
Ad Boream pons marmoreus, cui molibus altis
Quinquaginta arcus subterlabentia stagna
Excipiunt; versoque situ longissimus unda
Excurrit pictus sub opaco gurgite fornix.
Nulli fas hominum vetitos contingere fines:
Stat Custos ferro armatus, noctesque diesque
Excubias ducens, commissaque limina servat.
Atque hac transibat prono jam vespere currus,
Per magni convexa sonans saxa ardua pontis;
Excisosque aditus adversa in rupe subibat.
Apparent immensi agri, largissimus aether,
Herbosae hac illac valles, animantia mira,
Capreoli, pardi cicures, cervique fugaces.
Quae loca! quas olim sedes! quae regna pararat
Omnipotens! ut belle, ut suaviter omnia rident!
O miserum mortale genus, quae dira cupido
Hinc procul exegit? Juvat omnem abstergere curam:
Respirare auram juvat, et dare lumina circum.
Zacharides visu attonitus toto ore sequaci
Versicoloratas servabat in axe volucres,
Phoenicum, atque apodum turmas, et candida olorum
Agmina, sturnorumque acies: cui regia Mater
Annue, ait, digito, porrectaque allice dextra;
Dic propius volitent. Risu vix ille sereno
Annuit, inque manum sublatam et brachia unda

V. 195. Edit. Venet. pro ducens l. ducit.

V. 207. Edit. Venet. pro toto l. puer.

V. 209. Phoenicum. Phoenix avis in Arabia nobilis et fabulosa, quam Plinius (10, 2, 2) describit. Apus vel cypsellus (ἄπους κύψελλος) avis de genere hirundinum, cujus pedes curti et mutili, quasique inutiles. Plin. 10, 39.

V. 212 in Ed. Venet. deest.

Ardeolae, virides pici, cinclique loquaces
Ad nutum veniunt: mirantique addidit Ales,
Ipsi etiam accedent mites, si jusseris, ursi,
Nec renuent tigres: nulla his fera noxia silvis.
Ventum est Elysii in pomaria, dives ubi illa
Cladibus heu nostrae gentis memorabilis arbos:
Pomaque cernere erat summis fatalia ramis
Pendula adhuc, veteris monimenta perennia noxae.
His, ait auriga, infaustis sub frondibus actum
De rerum summa, jacta alea, perditaque omnia.
Ipsa locum immunis culpae circumspice, Diva.
His furtim repens emersit sepibus anguis:
Hic sedit miseranda parens: hic ore locutus,
Multaque promisit veterator callidus: huic se
Implicuit trunco, porrexitque improbus escam.
Heu dolor! heu pietas! Deliravere parentes;
Plectetur Puer iste tuus. Sancte Aliger, istud
(Da veniam) poteras reticere, aut dicere saltem
Vocibus ambiguis; nunc irrevocabile telum est,
Atque haec verba diu tacite secum illa revolvet.
Occidit interea Titan: (mirabile visu!)
Suspiciunt lunam ingentem se tollere contra,
Cui maculae insuetae, et solito turgentior orbis;
Per vitreas qualis sese ingerit aurea lentes.
Usque adeo illa polo sublimi vertice in auras
Accedit tellus, propioraque suspicit astra.
Denique marmoreum tectum sublime refulsit,

---

V. 214. Cinelus (κίγλος, ital. coditremola) avis, quae et motacilla (weisse Bach-Stelze) dicitur. Suid. s. v. Aelian. 15, 28.

V. 218. Elysii. V, 50.

V. 234. Titan. IV, 115.

V. 237. Per vitreas lentes i. e. per vitrum lenticulare sive lenticulam vitream (Linsenglas).

Tot pictis aulis dives, quot solibus annus:
Ingrediturque sonans currus, qua porticu in ampla
Mille aderant juvenes tedis utrinque coruscis,
Ordine dispositi. Centum atria mira columnis
Suffulta apparent. Ales pulcherrimus ulnis
Divinum accepit Puerum, Reginaque bigis
Ultima descendens Geniorum innititur alte
Porrectis cubitis. Ibant conclavia in alta
Marmoreis gradibus, sequitur quos undique fusa
Coelestum pubes. Lituis domus intima, plectris
Carminibusque sonat, facibusque incensa coruscat.
Omnia tuta videt Genitrix, fruiturque beatis
Deliciis. Nox stellifero tegit omnia velo,
Projiciens late campis felicibus umbram.

Nunc ruat utcunque, et saevis ferus intonet armis
Orcus in absentes; nunc terras turbine et axem
Misceat, irarumque omnes effundat habenas.

Huc animos, Auguste puer, cui Turcico opima
Sanguine Pannonicis jam sexta adolescit in arvis
Laeta Ceres; raucumque sonans promissa quotannis
Corpora caesa virum, vestes, pacta armaque patri
Euxino impatiens Ister jam ferre laborat.
Huc ades, invicti cura et spes magna parentis,
(Spero equidem, nec vana fides) Oriente subacto
Imperii quondam gemini recturus habenas,
Flos alme Austriadum, Joseph. En denique bella,

---

V. 247. Ed. Venet. pro verss. 247 et 248 habet:
Ultima descendit. Conclavia in alta feruntur

V. 256. Orcus. III, 200 et 201.

V. 259. Pannonicis. Cf. I, 17.

V. 260. Ceres. Cf. IV, 414.

V. 262. Euxinus (Εὔξεινος) Pontus s. mare nigrum, cui Ister (I, 15) sive Danubius immiscetur.

V. 266. Joseph. I, 19.

En tibi promissas acies. Hinc armiger axis,
Hinc Erebus jam signa movent, Martemque lacessunt.
Ergo omnis coeco misceri murmure vallis
Coeperat Aenonis. Praegnans Acherontia nubes
Lucifugos manes alvo profuderat instar
Grandinis aestivae horrisono displosa tonitru,
Atra Gomorrhaei trans usque bitumina stagni.
Quantus Hebrus, quantusque Hypanis, vel magnus Orontes,
Aut pater Eridanus late imbribus auctus inundat,
Egrediturque Athesis ripis, vel maximus Indus;
Tale fremit, tantoque ruit per saxa sonore
Piniferas inter silvas camposque volutum,
Exsuperatque juga, obscurisque it vallibus agmen.
Noctis erat medium, cum Belphegor arduus alto
Stans scopulo stimulos animis incussit amaros,
Instigans jam trita jugo subducere colla,
Fraenaque morsa diu perrumpere, bellaque demens
Agminibus Stygis innumeris indicere Olympo.

---

V. 270. Aenon. IV, 133. Acherontia nubes. III, 494.

V. 273. Gomorrhaei stagni. Eo loco, ubi nunc mare mortuum, seu lacus Palaestinae Asphaltites (ἡ Ἀσφαλτῖτις λίμνη) est, olim quinque erant urbes, inter quas Gomorrha et Sodoma, quae ob summam civium impietatem eversae sunt. Gen. 14, 3. Num. 34, 12. Jos. bell. jud. 4, 8, 2.

V. 274. Hebrus (Ἕβρος) ingens Thraciae (Rum-Ili, provinciae turcicae) fluvius, qui juxta Aenum urbem (hod. Eno) in Aegaeum mare influit. Hypanis (Bogus, Bog) fluvius Sarmatiae (Russiae) in Borysthenem (Dniepr) et mox in Euxinum Pontum delabitur. Orontes (Ὀρόντης) Syriae (Asiae regionis) fluvius rapidus ex Libano monte profluit et syrio pelago miscetur. Plin. 2, 103, 106.

V. 275. Eridanus. V, 168.

V. 276. Athesis (Adige, Etsch) fluvius Venetiae ex Brenno monte Alpium ortus Tridentum Veronamque alluit, et in mare adriaticum effunditur. Sil. 8, 595. Indus (Sind) ex Paropamiso monte ortus Oceano denique indico infunditur. Mela, 3, 7.

V. 280. Belphegor. III, 72.

V. 284. Styx. III, 112. Olympus. IV, 92.

O socii, o quondam coeli gens incola summi,
Quos odium superum vetus implacabile torquet;
Nunc vetera ulcisci tempus, nunc jura tueri,
Nunc fas antiquam per vim decernere litem.
Sunt nobis immensae acies extremaque passae;
Quodque caput, nostris divina exhausta potestas
Suppliciis, nec habet, quid desperantibus addat.
Quae fuerit sors cunque, in Numen vertere magnum
Lucifer arma jubet, patriasque reposcere sedes,
Sidus hyperboreum supra gelidosque triones.
Exscindenda hominum primo strips funditus omnis,
Reptilium et volucrum et pecudum genus: insuper ipsa
Devastanda igni tellus; hinc aëre coeco
Per medios ignes per densa volumina fumi
Ibimus in superos. Memores tamen ista tenete:
Si fors coelicolae trepidi venientibus ultro
Annuerint, et regna velint antiqua pacisci,
Partirique polos haud conditionibus aequis;
Ne quisquam indecori obsequio, velut indigus hospes,
Aetheris in partem veniat: rigido omnia jure
Nil precibus positoque genu veniaque petendum.
Condicta, o socii, res esto: jungite dextras:
Nunc locus et res ipsa vocat, nunc facta potestas.
Hunc, agite, abstrusum latebris exquirite parvum
Ambiguumque Deum, quem Numinis esse veremur
Progeniem magni; nobis, si creverit, olim
Venturum exitio. Captivus ad infima quaeque

---

V. 293. *Lucifer* supremus diabolorum nonnunquam dicitur. Jes. 14, 12, Apoc. 9, 1.

V. 294. *Sidus hyperboreum* (ὑπὲρ, βορέας) sive *gelidi triones* i. e septentriones, sunt septem stellae, quas Graeci ἅμαξαν, Latini plaustrum dicunt, ita sitae, ut ternae proximae specie efficiant veluti trigona (Gell. 2, 21): Ursa major et minor sive Septentrio major et minor (Siebengestirn) vocantur. Vitruv. 6, 11.

V. 308. Edit. Venet. pro *agite* l. prius.

Coelicolas trahet: haud parvo redimendaque mater
Obses erit pretio. Ite alacres, his abditus antris,
Hic latet; ad praedam discurrite, cingite silvas,
Vestigate aditus omnes, det buccina signum.
His dictis elati animi, et novus additus ardor,
Vanaque spes miseris, coelique arrecta cupido.
Jamque atris facibus laeti incensisque cupressis
Per juga odorisequi, per saltus undique fusi,
Latrantum velut audito turba excita cornu,
Exertis linguis caveas et lustra subibant.
Cum procul aetherei pugiles, mille axe quadrigae,
Loricae ex auro, scuta aerea telaque visa,
Et chlamydes variae, plumae et vexilla per auras,
Alatumque triplex descendere nubibus agmen.
Arrexere atros stupefacti ad sidera rictus
Luce repentina obstricti: haud mora, murmure rauco
Tartareae insonuere tubae, tremuere cavernae;
Et conjuratae momento temporis omnes
Instructae horribiles turmae, sub signaque rapta
Agmina. Laeva acies tibi, corniger Asmodaee,
Tessera cui belli piceus caper: huic Ephialtes
Signifer, et Mormo comes additus: in medio dux
Belphegor et Gorgo, et Belial: extrema coërcet

---

V. 328. Tartareae. III, 200 et 201.

V. 331. Asmodaeus (Ἀσμοδαῖος, i. e. ἀπολλύων Apoc. 9, 11) daemon, qui Saram, filiam Raguelis, invasit, ejusque septem viros priores, antequam juveni Tobiae nuberet, morte affecit. Tob. 3, 8.

V. 332. Ephialtes (ἐπί - ἅλλομαι, insilio) Neptuni filius, Oti frater, quos ambos coelum ascendere conantes Apollo et Diana sagittis confixerunt. (Claud. B. Get. 75) Ephialtes incubus quoque morbus (Alp) dicitur, quo dormientes opprimi et suffocari sibi videntur (Macr. Somn. Scip. I, 3) h. l. Diabolorum unus.

V. 334. Belphegor. III, 72.

Belial scelestum seu desertorem i. e. diabolum significat. II Cor. 6, 15. Mormo et Gorgo ficta diabolorum nomina.

Squamigera Dramelech insignis pelle draconis.
Parte alia classem specie fugientis Amida
Laxabat ventis; a tergo scilicet hostem
Circuitu interior largo aggressura repente.
Quisque suas lustrare acies, spemque addere dictis,
Et monstrare manu natalia sidera: Nunc vi,
Nunc animis opus, o socii, nunc reddere cladem
Hostibus antiquis, nunc nunc cui cedat Olympus,
Cui summa imperii vestris decernitur armis.

Jamque propinquabat legio omnis coelica terris,
Jam propior stadio. Nil pulchrius aethere fingi
Ante oculos poterat; tot scuta et tela per auras,
Tanta acies Divum, galeaeque ensesque micantes
Undique inardebant, quantum nec Cynthia pleno
Orbe micat, medioque nitet sol purus Olympo.
Illa autem pennis coelo librata pependit
In turmas digesta suas Orientis ad oram,
Opperiens hostem. E signis borealibus Orcus
Circuit occiduam partem, volucresque maniplos
In gyrum flexit; nec segnior inde volatum
Erexit contra. Improvisi turbinis instar,
Turbinis ex Apennino venientis, aquosam
Obscuramque hiemem tempestatemque ferentis,
Ala sinistra Erebi magno procedere jussa

---

V. 335. Dramelech. III. 178.

V. 336. Amida. III, 446.

V. 345 et 346 Edit. Venet. sic conjungit:

Jam proprior stadio. Tot scuta et tela per auras

V. 348. Cynthia IV, 322. Olympus. IV, 92.

V. 352. Orcus. III, 200 et 201.

V. 356. Apenninus (Ἀπεννῖνος ὄρος) mons, seu potius multorum montium series, quae ab alpibus inde maritimis per Italiam mediam procurrit.

V. 358. Erebus. I, 3.

Cum sonitu, in dextrum cornu ruit impete toto;
Alphitus et Dagon, atque Ornicus et ferus Acco,
Ante alios primi. Non sic tonat Aetna caminis
Sulphureum eructans amnem, liquefactaque saxa
Mixta atris nebulis. Telorum it nimbus ad auras,
Flammarumque globi. Tortas umbonibus hastas
Scuta retorserunt adamantina protinus actis
Hostibus in praeceps; iterumque in bella feroces
Conversis rediere animis; iterumque repulsos
Fulguris instar agit, tergoque fugacibus instat
Prima acies Divum. Sed et ipse sequentibus haeret
Belphegor increpitans dictis: Non Appula tellus,
Non hic Gargani montes, quibus haesimus olim
Vi pulsi coelo; nec primum fulmina visa,
Aut tonitru auditum. Sed et ipsum torva frementem
Cum sociis premit Aligerum turma altera: turmam
Hanc sequitur Dramelech; hunc tertia cominus urget
Diva phalanx: hastas hastis, tela ignea telis
Implicuere, oriturque atrox asperrima pugna.
Pastores strepitu exciti de montibus atram

---

V. 359. Edit. Venet. pro toto l. facto.

V. 360. Dagon (h. l. genius malus) Philistaeorum idolum in urbibus Gaza et Asdod (Judd. 16, 23 seqq. I. Macc. 10, 83) formam piscis ab umbilico et superne, quoad manus vero et pedes formam humanam habuisse dicitur. Ugolin. XXIII.

Alphitus, Ornicus et Acco ficta diabolorum nomina.

V. 361 — 64 in Ed. Venet. contrahuntur:

Ante alios primi. Tortas umbonibus hastas.

V. 361. Aetna (Monte Gibello) mons Siciliae ignivomus, qui hanc ob rem officina Vulcani in fabulis vocatur. Cic. Div. II, 19.

V. 370. Appula tellus. Apulia (nunc Puglia) regio Italiae inter Apenninum montem ad Merid. et mare adriaticum in regno Neapolitano.

V. 371. Gargani montes in Apulia Daunia, regione Italiae inferioris, assurgunt. Mela, 2, 4.

V. 375. Dramelech. III, 178.

Suspiciunt nubem: mirantur noctis in umbra
Tot strepere obscoenas volucres, tanta agmina coelo
Misceri turmis internigrantibus alba:
Fit clamor, saevitque canum latratus ad auras.
Ast Erebi insanae vacuum per inane phalanges
Alternae, ad laevam dextramque, infraque supraque,
Hac illac variis susdeque erroribus ibant.
Ter frustra in nubes validis conatibus actae;
Ter lapsae ad terram; ter rursum concitae ad auras.
Mille vias ineunt, spirasque orbesque retexunt,
Ut vespertini per sera crepuscula mures
Pinnigeri volitant. Stat longis fallere gyris
Instantes a tergo hostes: non si ruat ipse
Desuper omnipotens jurati cedere campo.
Jamque adeo in longam noctem fera bella trahebant.
Jam procul audiri clamor, stygiumque celeusma
Coeperat infernae classis, longeque videri
Tartareae antennae distentaque carbasa vento.
Cum subito tonitru Divum Pater atque hominum Rex
Sidereo e solio totum tremefecit Olympum.
Ecce autem (res mira!) aderat sublimis Amazon
Albo in equo, aëria veniens altissima nube
Bellatrix, cui taenarias confundere turmas
Armipotens dederat. Non huic armata securi
Hippolyte, aut ripis Amaseni educta Camilla

V. 385. Susdeque i. e. sursum et deorsum.

V. 399. Amazones feminae bellicosissimae, quae primum Sarmatiam ad Tanaim fluvium, deinde Cappadociam ad Thermodontem incoluerunt. Sublimis Amazon ad Juditham referendum. Cf. I, 569. IV, 354.

V. 403. Hippolyte, filia Martis et Ortrirae, soror Antiopae et Orithyae, reginarum Amazonum. Just. 2, 4. Plaut. Men. 1, 3, 17. Amasenus (Toppia, vel fiume dell' Abbazia) fluvius Volscorum in Latio. Virg. Aen. 7, 685.

Camilla virgo Volsca, quae Turno contra Latinos et Aeneam auxilio venit. Virg. Aen. 7, 803.

Digna foret lateri pedes ire, atque aurea tela
Atque arcum et pharetram comes in certamina ferre.
Hanc prona labentem hasta inter mille sequaces
Non tulit ille animis nuper vultuque tremendus
Palantum ductor lemurum Asmodaeus, in omnem
Incurritque aciem trepidus, classemque petivit
Post puppes et transtra latens formidine turpi.
Haud aliter quandoque canis pecuarius ingens
Rure cubans, si quem venientem senserit, ore
Continuo exululat magno, insequiturque paventem;
Quem si audens quisquam petat obvius, ocyor Euro
Tecta subit; stabulique alto de culmine vecors
Latratu in seram noctem se jactat inani.
Tum fragor auditus, veluti si corruat axis
In praeceps fractus: colluxere omnia flammis;
Foetaque tartareis turmis tonuere metalla
Explosa et piceis ratibus: ruit aëre grando
Undique serpentum lemurum; simul impete toto
Restituere aciem Belial, Amidenus, Alastor
Effusi contra. Mille Orci immania monstra
Gorgones atque ululae et gryphi alatique dracones
Circumstant equitem. Clypeum tunc aspera virgo
Objecit rabidis, medioque umbone refulgens
Numinis ostendit non ulli effabile signum,
Notum Erebo signum: simul axe apparuit ingens,

---

V. 405. Ed. Venet. pro: **Atque arcum et pharetram** legit: Et pictas pharetras.

V. 408. **Asmodaeus**, V, 331.

V. 418 — 26 in Ed. Venet. in duos Versus contrahuntur:
In praeceps fractus: clypeum simul aspera virgo
Objecit rabidis, medioque umbone refulgens

V. 422. **Belial.** V, 334. **Alastor.** III, 151. **Amidenus** fictum diaboli nomen.

V. 424. **Gorgones** fabularum monstra oris deformitate et crinibus serpentinis terribiles, h. l. cacodaemones.

Terribilis, vindex ensis: simul aethere ab alto
Quatuor a ventis vox magna audita per auras:
Ad chaos, ad puteum, genus exitiale, rebelle.
Horrendum visu! rima ingens aëre aperta est,
Astraque visa polo, et comitatus Numinis, et mors
Ossea praecedens in equo, innumeraeque cohortes.
Quo visu turbatae acies, pavor excitus ingens;
Ceu trepidis avibus cum desuper ingruit alis
Milvius, aut vultur rostro improvisus obunco.
Prima fugam remis velisque capessere Amida
Trans Casium, et Seras, nimbosaque culmina Tauri:
Parte alia Aegypti turba omnis foeda Deorum
In diversa trahi longis invecta colubris.
Ad terras reliqui condensae grandinis instar
Praecipitare metu; laxis fugiamus habenis
Qua juga prona ferunt: totus ruit axis, ab alto
Millia myriadum princeps trahit armiger; ipse
Bellipotens curru insequitur: fugite ocyus, arma
Exuite. Hinc pavor et clades vastissima, nec fas
Praecipites retinere minis: fanaticus error
Usque adeo exagitat miseros. Fugit avius ipse
Euphius, et Babel, et Belzebub: ater euntes

---

V. 429. Simul aethere ab alto. Ed. Venet. l. tum murmure claro.

V. 431. Chaos. III, 461. Ed. Venet. l. profundi pro rebelle.

V. 438. Amida. III, 446.

V. 439. Casius (Schebal-Okrab) mons Syriae, Antiochiae urbi finitimus. Seres populi Scythiae asiaticae orientalis. Taurus mons Asiae maximus a Lycia usque ad extremos Seres perducitur, multosque montes in Boream et Austrum vergentes veluti ramos emittit. Plin. 5, 27, 27.

V. 449. Edit. Venet. pro miseros l. trepidos.

V. 450. Babel fictum diaboli nomen. Euphius. III, 386. Belzebub (Βεελζεβούλ) Deus ab Accaronitis cultus, ut muscas abigeret. In N. T. princeps geniorum malorum vocatur. Matth. 12, 24. 27. Marc. 3, 22. Luc. 11, 15. 18. 19.

Nimbus aquae insequitur: caligine, pulvere, fumo,
Hastarum silvis, telis obnubitur aër:
Pars obscoenarum volucrum fusco aëre pennis
Fidere, pars condi miserorum in corpora agrestum;
Hos Sodomae mersere lacus, hos terra dehiscens,
Aut putei excepere cavi, pelagusque profundum.
Est regio Italiae in gremio sub sidere tristi,
Quam Dauni et Vestinus ager, Marsique coërcent,
Nubiferumque super caput exerit Appenninus;
Unde jugis acti in praeceps horrentibus amnes
In mare se exonerant, Vulturni nomine. Tellus
Omnis subtus hiat, coecis perfossa latebris,
Fornicibus suspensa cavis, et sulphure foeta.
Huc legio princeps sese per aperta Vesevi
Ora dedit, penitus vacuas ingressa cavernas,
Quantum Hirpinorum urbs sedes, et regis distat
Parthenope. Hic profugos superum Pater aere revinxit,

---

V. 452. Ed. Venet. legit:
Arietibusque nigrisque ululis obnubitur aër:

V. 455. Sodomae lacus i. e. mare mortuum sive lacus Asphaltites. Cfr. V, 273.

V. 458 Dauni sunt populi Apuliae Dauniae. Cf. V, 370.
Vestinus ager regio Italiae ad mare adriaticum.
Marsi. III, 166.

V. 459. Appenninus. V, 356.

V. 461. Vulturni nomine i. e. mare Tyrrhenum, quod Vulturnus, fluvius Campaniae, aliis amnibus acceptis intrat. Liv. 8, 11, Virg. Aen. 7, 729.

V. 464. Vesevus (Vesuvius) mons Campaniae ignivomus, vicinus Neapoli.

V. 466. Hirpini regionem Italiae in regno Neapolitano incolebant, quorum caput et metropolis Beneventum.

V. 467. Parthenope i. e. Neapolis. Parthenope, una Sirenum, prae dolore in mare se praecipitasse eoque delata esse dicitur, ubi postea Neapolis condita et Parthenope appellata est. Sil. 12, 33. Virg. G. 4, 564.

Adjecitque annos quot coelo impendet arista
Isidis, octonis ter ferme ut vergat eoam
Signiferi in partem gradibus. Quo tempore demum
Exacto rursum valido luctamine ad auras
Erumpent scissa tellure, et murmure vasto
Impositas quatient ruptis compagibus urbes.
    Nec vero eventum primi inter caetera mittam
Ductoris Stygii. Ille amens ad flumina cursu
Dum fugit, in viridi pascentem gramina campo
Nactus equum, huic sese totum indidit. At quadrupes se
Protinus immani conjecit in aëra saltu;
Concussisque jubis, et toto spumeus ore,
Indomitus praeceps per devia fugit Idumes.
Donec Ithuraei comprensum montibus aspris
Obstrictum hinc atque hinc per vim traxere lupatis
Herodi, Herodes Agrippae, Agrippaque habendum

---

V. 468. Adjecitque annos etc. Ceva interpretatur: Tempus astronomicum usque ad annum 1688, quo terrae motus per Campaniam.

V. 469. sq. Isidis arista. Isis, Dea Aegyptiorum, fertilitati praeerat. Isidis sidus a quibusdam Stella Veneris appellatur. Stat. silv. 3, 2, 101. Plin. 2, 8, 6.

V. 470. Signiferi h. l. coeli stellis ornati. Cic. Div. 2. 42.

V. 477. Huic sese totum indidit. Ed. Venet. legit: huic alvo sese indidit.

V. 479. Ed. Veneta:

Concussisque jubis per colla, et spumeus ore,

V. 480. Idume. I, 34.

V. 481. Ithuraei (Ituraei) provinciam Coelesyriae, quae eadem cum Auranitide fuisse videtur, incolebant. Plin. 5, 23. Relandi Palaest. I, 22. p. 106.

V. 483. Herodes Philippus, filius Herodis M., Herodis Antipae frater, Ituraeam tetrarchae nomine habuit. Luc. 3, 1.

Herodes Agrippa nepos Herodis M. Actt. 12, 1, 4. Euseb. H. E. 12, 10.

Augusto dedit. Hoc vero mirabile narrant;
Illius in sobolem et sobolis genus omne secutum,
Tartareum possessorem migrasse frementem
Caesareis stabulis: donec sacro effera fraeno
Injecto Constantinus compescuit ora
Hospite Avernali ejecto: quae ferrea fraena
Augustae Crucis e clavo confecta trabali,
Insubrum ante aras nunc Urbs regina veretur.
At ripa ex alta liquidi Jordanis Amazon
Insignem niveo candore auroque nitentem
Egit equum, et fluvio victrix se condidit alto;
Unde pios iter ad manes per concava terrae.
Quo simul advenit, patriis fusae undique sistris
Occurrere animae, lateque patentibus ulnis
Antiqui Patres. Quis vero hanc crederet illam,
Parthenii quondam meruit quae praemia veli,
Dilectam Jesu, et Pueri coelestis amantem
Juditham? huc talem armigeram quis tempore tali
Improvisam adeo supera expectasset ab aura
Venturam? Illa erat, illa tamen jam corporis expers,
Praeda recens mortis fato sublata repente.
Namque agris nuper sero dum vespere anethum
Aequales inter legeret pulcherrima nymphas;
Seu rigua latitans malus anguis laeserit herba,
Sive aliud (longo nam fama obscurior aevo)

---

V. 484. Augustus, Romanorum imperator, Palaestinam inter filios Herodis M. divisit.

V. 488. Constantinus M. Imperator (natus anno 274 mortuus 337), pacem ecclesiae christianae incrementumque, omni quo fieri poterat studio, adtulit. Euseb. de vita Constant.

V. 491. Insubres, populus Galliae transpadanae, Mediolanum urbem condidere. Inscript. ap. Murator. 712, 7.

V. 492. Jordanis Amazon. Cf. V, 399.

V. 501. Juditham I, 569. IV, 354. V, 399 et 501.

Heu lassa, heu morior, dixit; collapsaque sedit
Floribus in niveis, albo magis alba ligustro.
Mox ubi deseruit mortales spiritus artus,
(Quae fuerant nuper sacri praesagia somni)
Olli castus amor meruit, servataque voto
Virginitas Erebi obscoenas dispergere turmas,
Et laetum Elysii in sedes inferre triumphum.
Exitus hic primus belli; sic Tartara probro
Affecta, elusi manes, dux foemina facti.

# LIBER SEXTUS.

## ARGUMENTUM.

**Elias Thesbites in Paradiso terrestri Virginem colloquiis tenet. Divinus Puer superveniens Matrem rosis coronat. Sera nocte in palatium revertentibus occurrunt animae sanctorum Patrum. Aulam maximam subeunt, ubi sacra bella in parietibus descripta cernuntur. Illic drama ab Angelis exhibetur, atque iterum sancti hospites curru sublati Nazareth revehuntur.**

Hetruscos inter flores qua labitur Arnus,
Hesperiae sacris statio gratissima cycnis,
Est locus in prato, unde etiam data nomina ruri.
Quanquam sorte sua felix locus ille vocari
Elysium meruit: regni nam si qua beati
Illius in terris foret ulla simillima imago,
Unius ista foret Mediceae gloria villae.
Unde adeo geminae facies, et prorsus eandem
Exactae ad normam sedes, rem promere ab alto
Fert animus, paulumque via deflectere cantu.

---

V. 1. Arnus, fluvius Hetruriae (Etruriae, Toscanae) ex Apennino monte ortus, Florentiam et Pisas interluit, Tyrrhenumque mare petit. Virg. Aen. 12, 232.

V. 3. Est locus in prato. Ceva ad marginem adnotat: Pratolinum, Magni Ducis Hetr. villa, cur simile Paradiso terrestri.

V. 5. Elysium. V, 50.

V. 6. Edit. Veneta:

Illius in terris species foret ulla superstes,

V. 7. Familia Medici inde a seculo XIII et XIV divitiis opibusque clara rerum Florentiae potita est. Cf. J. M. Bruti: Florentinae Historiae. Lyon 1562.

Namque ferunt, postquam vates Aligherius Orci
Ambages tortas, animarum februa, et altas
Coelicolum sedes stellato ascenderat axe;
Non illum in patrias (si famae credere fas est)
Continuo rediisse domos. Nam dia Beatrix,
Qua duce tot vulgo ignotos penetraverat orbes,
Nequa forent divinarum mira abdita rerum,
Terrestris Paradisi iterum traduxit in hortos.
Hos duce Mathelda jam viderat; ast ibi poto
Amne sacro memori abstulerant oblivia mentem.
Ergo iterum peragrare datum loca, tectaque mira
Infanti fabricata Deo, quo reddita menti
Visa semel rursumque forent: Postque otia longa
Dicitur asportasse illinc descripta papyro
(Seu verum, ut perhibent, seu vulgi fabula) sacrae
Intima quaeque domus, tenerae sarmentaque vitis,
Delicium Musae, seraeque alimenta senectae.
Hinc gemino dives spolio patria arva revisit,
Praecinctus nigris lauris, quas fumus et aër
Obscurus tetra fuligine tinxerat Orco.
Olli sacra genis macies, vox aenea, tristis
Obtutus, veterique scabrum rubigine plectrum:
Perque urbes medias ibat, perque oppida Tusca
Pone trahens densum, stupefactum ad carmina vulgus.

---

V. 11. Dantes (Durante Alighieri) natus Florentiae 1265, mortuus Ravennae 1321, clarissimus poëmate Divina Comedia inscripto. Cfr. Tiraboschi: Storia della letteratura italiana.

V. 15. Beatrix (Beatrice, Bice) Portinari, quam Dantes poëta magni aestimabat, morte matura abrepta est. Cfr. Divin. Comed. Purgat. XXX. XXXI.

V. 19. Mathelda sive Mathilda (nat. 1046. mort. 1115), Tusci Ducis conjux, ecclesiam Romanam heredem bonorum suorum fecit.

V. 33. Tuscus i. q. etruscus. Cf. VI, 1.

V. 34. Ed. Venet. pro densum habet cithara.

Tum late Ausoniae gentes discordia demens
Hinc atque hinc odiis in mutua fata ciebat.
Causa mali geminae perplexa ab origine partes,
Queis bicolor nomen fatalis tessera belli;
Unde bipertiti cives, atque asperi agrestes,
Et populi infensi populis, atque urbibus urbes.
Quid repetam saevas quot passa Hetruria clades?
Quot procul extorres vis egerit impia cives?
Ipse miser vates nequicquam dira minatus
Exitia et poenas, quas imis nuper avernis
Viderat; infelix patriis e finibus exul
Dicitur excoluisse agrum, curisque levamen
Vinctum instituisse domi: vitemque beati
Elysii furtum, mira propagine adultam,
Paulatim Hetrusci campos severe per omnes:
Tyrrhenaeque urbes sacrum expressere liquorem,
Pistorium, Senae, Alpheaeque ab origine Pisae.

---

V. 35. Ausonia (ab Ausone, Ulyssis filio) olim pro parte Italiae maritima inter Terracinam et Cajetam, deinde pro tota Italia posita. Virg. Aen. 10, 54.

V. 37. Geminae partes i. e. Albi et Nigri. Familia Cancellieri Pistorii (Pistojae) in duas disjuncta erat factiones, quarum altera Nigrorum, altera Alborum nomen sibi assumpsit. Eodem tempore quum Florentiae potentissimae Cerchorum et Donatorum (Cerchi et Donati) gentes inter se obtrectarent, Albi cum Cerchis et Nigri cum Donatis se conjunxerunt, quo factum est, ut bella tristissima orirentur, et Dantes (1302) in exilio vivere cogeretur. Cfr. Dino Compagni ap. Murator. T. IX.

V. 43. Edit. Venet. pro miser l. etiam.

V. 48. Ed. Venet. his verss. aucta est:

Elysii furtum crevisse penatibus ajunt,
Praetextam muris, quam dein volventibus annis
Diffusam late, et mira propagine adultam

V. 50. Tyrrhenus i. q. Tuscus sive Etruscus. VI, 1.

V. 51. Omisit Ed. Venet.

Pistorium (Pistoja) et Sena (Siena) urbes Etruriae.

Pisa urbs Etruriae ad Arnum fluvium condita a civibus Pisae, Peloponnesi urbe ad Alpheum fluvium.

Prima propinavit laticem Florentia purum,
Os liquido perfusa mero, mirabile donum
Finitimos inter populos partita Lyaei.
Olli subviridis color, atque abscondita vena
Nectaris aetherii longe super Attica mella;
Qua sensim agrestes hominum mollescere linguae,
Eloquiumque modis coepit dulcescere miris,
Et lepor et charites paulatim accedere dictis.
Inde tot egregii vates, cultusque per artem
Italiae sermo Latii jam secula prisci
Et Grajas Veneres fandi dulcedine vincit.
Eloquii hinc inter Patres subsellia Dantes
Prima tenet, primus genialis consitor uvae;
Unde illum in Tuscos mentito nomine Bacchi
Vexit agros Redus, praetextaque fabula vero est.
At folio excerptum, ut dixi, mirabile tectum
Hetruscis Ducibus longo post tempore cessit,
Cui forma, atque situ substructa simillima (quantum
Fas opere industri fabris mortalibus) aedes.

---

V. 52. **Florentia** urbs Hetruriae.

V. 54. **Lyaeus** (*Λυαῖος* a *λύειν*, solvere sc. curas, vel corpus, vel concordiam) cognomen Bacchi pro vino ponitur. Sil. 3, 370. Ovid. Met. 4, 1.

V. 55. **Olli subviridis color.** Ceva adnotat: Vulgo Verdea.

V. 56. **Attica** (*Ἀττική*) regio Graeciae, cujus caput Athenae, optimo melle celebris. Plin. 31, 7, 41. Ovid. Trist. 5, 4, 32.

V. 61. **Latium**, regio Italiae, cujus caput Roma, ubi praesertim Augusto Caesare imperante lingua latina, mater italicae, inprimis exculta erat.

V. 62. **Grajae** (graecae) **Veneres** pro sermonis graeci venustate et elegantia interdum ponuntur. Quintil 6, 3, med. et 10.

V. 65. **Bacchus**, qui vitium colendarum rationem docuit, metonymice pro vitibus (Virg. Georg, 2, 112), et saepe pro vino (Virg. Eclog. 5, 69) ponitur. Cf. VI, 54.

V. 66. **Franciscus Redi** (nat. 1626), Aretii artis medicae et philosophiae peritissimus, inventor Dithyramborum italicorum putatur, quo poëseos genere proxime ad Graecos accessit. Cf. Vite degli Arcadi di Crescimbeni.

V. 70. **Opere industri.** Cf. I, 259.

Namque haec in viridi prato; in viridi quoque prato
Illa domus; domui contermina eremus utrique,
Et sacrum nemus et fontes, et plurima, quae nunc
Haud memorare vacat. Paradisi sed tamen hortus,
Divinas aedes gyro qui plurimus ambit,
Paulo aliter positus. Verbana haud discolor illi
Insula, ad eoum qua formosissima solem
Vergit opaca cedris, Borromaeosque penates
Desuper aspectat. Multum illi et Montia villa,
Pinifero qua subterlabitur Addua Vapro,
Meltiaque aspirat. Quamquam haec mortalia longo
Post se intervallo species illa aurea linquit
Antiqui Elysii: quo me post horrida bella
Jam fessum series rursum vocat ordine rerum;
Invitatque chorus Divum peregrinaque Virgo,
Quam caelo invectam paulo ante his liquimus arvis.
Hic illa, hic gemini prono jam sole puelli
Tunc aderant; pariterque aderat venerabilis aevo
Fervidus ille senex, raptus qui curribus igneis
Sederat his quondam Thesbites advena campis.
Olli canities mento diffusa, pruinis

V. 76 et 78. Duae insulae lacus Verbani (lago maggiore), Isola bella et isola madre, Comitum Borromaeorum erant, qui jam saeculo XIV totum fere tractum circa lacum Verbanum habuisse feruntur, qua ex gente ortus S. Carolus Borromaeus (nat. 1538, mort. 1584), archiepiscopus Mediol. maxime excelluit.

V. 79. Montia. Monza urbs ad Lambrum flumen, haud procul a Mediolano.

V. 80. Vaprio oppidulum ad Addam fluvium. Cfr. V, 170.

V. 81. Meltia. Meltium (Melzi) oppidum parvum ad Addam fluvium. Edit. Venet. pro quamquam l. verum.

V. 86. inter et v. 87 Editio Veneta addit:

Ergo age, quae nostris illo solatia in orbe
Hospitibus data, quaeque oculis spectacula verum
Exhibita, utque inter sanctos nox acta penates,
Musa, cane, et seclis non ante audita revolve.

V. 90. Thesbites. Elias (Ἡλίας) propheta Thesbe (Thisbe) oriundus acerrimus religionis avitae defensor. I Regg. c. 17 — 19.

Candidior, nivibusque perennior Appennini;
Alba super fulva quoque lanea pallia veste,
Sandalia in pedibus; viridique intortus oliva
Nectebat ramus raros ad tempora crines.
Et tum frondifero sub tegmine forte sedebant
Juniperi; gemini vero per florea prata
Interea errabant pueri. Bonus incola Matri
Hospitae amoena loca, atque aevi celeberrima quaeque
Monstrabat digitis longe monimenta vetusti:
Illa procul juga celsa vides silvamque comantem,
Quae solem tegit, ingentemque huc projicit umbram?
Illis in latebris miser Adam et noxia conjux
Delituere ambo velati frondibus, haustum
Lethalis pomi simul ac sensere venenum.
En ubi detersis oculis somno excitus Evam
Egressam latere obstupuit: sub collibus illis
Infelix famulantum inter genus omne ferarum
Jura dabat brutis, et nomine quaeque vocabat.
Talia narrabat. Cui Parthenis alma, beatis
Deliciis capta agrorum, nemorisque propinqui
Respirans auram, roseo sic ore locuta:
Multa mihi porro peregrinae edissere, vates,
Jamdudum his assuete locis, quae scire laboro.
Ac prius hesterno lethalia vespere vidi
Poma, venenatis vulgo celeberrima succis;
Unde lues genus infelix diffusa per omne:
Ast ea credideram, fateor, pulcherrima longe;
Longe aliam speciem rebar, quae cogeret ultro
Invitas ad furta manus: nil tale, nec ullas
Illecebras, quas fama refert, sub pectore sensi.

---

V. 92. Apenninus. V, 356.
V. 103. Ed. Ven. legit:
Illis in latebris Adam, et male credula conjux.

Olli subridens senior: Mirabile narras;
At non illa impune alius spectaverit, inquit,
Adami de stirpe nepos. Sed forte Parentum
(Quod reor, et decuit Genitricem Numinis) illa
Dira cupido tuos nil se transfudit in ortus.
Certe ego, cum primum blanda illa pericula vidi,
Ingenitum virus per venas serpere sensi,
Praesentique malo sanguis sufferbuit imis
Usque fibris; quanquam mihi jam vis nulla timenda,
Inque hoc tranquillo jam tuta sit anchora portu.
Hic alio eloquium divina Puerpera belle
Detorsit, sortem egregiam sibi conscia celans,
Multa loci veterumque rogans, atque ipsa vicissim
Multa Palaestinae, rerumque hominumque reponens.
At senior, cui nondum animis excesserat ardor
Ille vetus, patrii cum culmina degeret inter
Carmeli, pluvios unde ignes saepe vocarat;
Ingenii memor usque sui, memor atque scelesto
Quae quondam illo aevo passus, quot adire labores
Extorrem impulerint; antiquae semina flammae
Elicuitque animis, rigidoque haec ore locutus:
O ego quam reliquos inter nunc degere vellem
Mortales, scelerumque ultrices cernere flammas,
Quas Puer iste tuus patrio pro Numine laeso
Axe feret! Num saeva adeo vos secla tulere,
Qualia vixi olim? Quantas mihi perfida lites
Foemina, quotque tulit! quot sanctos illa peremit,

---

V. 133. Ed. Venet. sic legit:
celans.
Multa loci, veterumque rogat, sedet ipsa vicissim
Multa Palaestinae rerumque hominumque reponit.
V. 334. Edit. Veneta: rogat, sed et ipsa vicissim
V. 135. Palaestinae. Cfr. III, 313.
Edit. Venet. pro reponens l. reponit.
V. 138. Carmeli. I, 484.

Haud impune tamen, vates! quot sparsa per omnes
Monstra Deum terras, quot foeda altaria vidi!
Impia gens, toties nequicquam exterrita nostrae
Fulminibus linguae; nunc denique magnus ab alto
Ultor adest, meritis qui subruat ignibus urbes
Sacrilegas. Quantus regum cruor effluet atris
Lingendus canibus! quot corpora sparsa per agros
Alitibus praedam video, quantoque tumentem
Sanguine Jordanem! Quanquam pro talibus, alma
Virgo Parens, nimium, vereor, frons ista Puelli
Blanda tui, placidusque animus. Quo pri tinus ille
Dux exercituum cessit? cur grande sub istis
Dissimulat Numen spoliis? ubi fulmen? ubi vox?
Et nomen vetus et facies habitusve Tonantis?
Talibus austerus dictis toto igneus ore
Instabat vates: Quem mitibus alma querelis
Mollibat Virgo; desuetaque fulmina dextrae,
Alternasque vices, et sat data funera terris;
Nunc aliam seriem conversaque secla docebat.
Interea vero gemini per prata puelli
Immixti geniis, calathi quibus omnibus auro
Illusi atque ebeno texti argentoque quasilli,
Carpebant flores. Ter quinquaginta seorsum
Collegere rosas; quarum pars tertia puris
Purior alpinis nivibus, pars altera tincta
Murice sanguineo, pars ultima concolor auro.
Ut numerum explevere sacrum, Tria nectite filo

---

V. 158. Edit. Venet. legit:

Virgo, equidem vereor, nimium frons ista Puelli

V. 157. Jordanem. II, 351.

V. 162. Tonans (βροντῶν) Jupiter vocabatur (Ovid. Her. 9, 7) h. l. Deus unus vindex.

V. 163. Edit. Venet. habet:

Talibus austerus dictis antiqua renarrans.

Serta, ait aetherius Puer, unicoloribus unum-
Quodque rosis; decimam medio sed quamque nivali
Belle interposito distinguite lilio, odoros
Inter utrinque crocos. Sic ille, et sedulus ultro
Ipse manus operi quoque contulit; inde per agrum
Laetitia ingenti Reginam adiere sedentem
Graminea in ripa: cui formosissimus Infans
Mollibus imposuit nexum diadema capillis.
Quis tibi sensus erat, Virgo? quam concolor ipsi
Sanguineo serto! quae purpura sparsa per omnes
Ore genas toto! Ter summo e vertice munus
Detraxit roseum Puero impositura; ter ille
Restituit rursum, bis garriit almus ad aurem
Matris, bis pariter Virgo respondit in aurem
Coelestis Nati. Tandem pulcherrima Numen
Caeruleo accepit gremio, tenera oraque toto
Ore superposito strinxit, tenuitque lacertis
Amplexa; et lacrimans et inhaerens talia dixit,
Quae poterant ipsum, credo, retinere cadentem
In mare jam solem. Hic lusus gratissimus inter
Mille alios fuit. Hinc adeo tibi grata rosarum
Munera Partheniis altaribus, hinc tibi magnis
Intermixta etiam titulis rosa. Denique serta
(Nazareas postquam rursum remeavit in aedes)
Elpino dedit; ille autem sua carmina cuique
Adjecit flori. Verum mihi noxia semper
Vesperis umbra. Inter medias jam ter mihi, Phoebe,

---

V. 186. Edit. Ven. mutat:

Ore genas! Manibus ter summo e vertice munus

V. 191. Edit. Veneta:

Caeruleo accepit gremio, et crinem et tenera ora.

V. 200. Edit. Venet. adnotat: Franciscus Lemene auctor Rosarii poeticis floribus intexti. Cfr. V, 171.

V. 202. Phoebe. II, 1.

Delicias fugis: ipse autem quae cernere velles,
Hespere, cuncta fugas. En sidera sparsa repente,
Praecipitemque fugam solis noctemque ruentem
Parthenis ipsa dolet. Jam tempora cyclade velat,
Discessumque parat: Procul, inquit, in ardua tecta
Sera dies, Pueri, revocat, superandaque vallis;
Perque sacram relegenda iterum vestigia silvam.
Sic illa. At senior vates suspexit eremum,
Carmeli ad normam veteris tecta ardua colle
Palmifero, atque illuc bis sustulit ad juga dextram,
Clamoremque dedit notum, tenuitque parumper
Sollicitam Matrem dictis, atque altius ore
Signa dedit rursum. Ecce autem (mirabile visu!)
Quattuor e monte alipedes, en currus ab alto
Flammeus, alatusque Cherub auriga jugales,
Lora tenens, summo de vertice collis agebat.
Qualis ubi in noctem vulgo media urbe coacto
Machina flagratura ingens jam tempore longo
Spectantes tenuit, cum primum culmine ab alto
Per funem aut aquila, aut alato tergore serpens
Sibilat ore ferens incendia; plebis hiantis
Ora oculosque rapit flamma improvisa per auras:
Haud aliter miri veniebant tramite recto
Quadrijugi ardentes flagrantesque axe quadrigae.
Utque solum tetigere rotae, propiusve quierunt,

---

V. 204. Hesperus (Ἕσπερος) stella dicitur, cum subsequitur, Lucifer (Φωσφόρος), cum antegreditur solem. Virg. Ecl. 10, 77.

V. 211. Carmeli. Cfr. I, 484.

V. 217. Cherub (potens, fortis) h. l. angelus. Cherubim et sublimiora Angelorum agmina, et figurae Hebraeorum symbolicae sunt (Ezech. 1, 5—10. c. 10, 14—20). Cfr. Lamy de tabernac. foed. p. 484 sqq.

V. 219. Edit. Veneta pro qualis ubi legit: ac veluti.

V. 220. Edit. Ven. pro jam l. ubi.

His ego vectus, ait Thesbites, aethere quondam,
Hisque feror toties trans nubila, transque rubentem
Supremi regionem ignis, maculosaque lunae
Bis propior convexa oculis immania vidi.
Haec memorans armos manibus palpabat equorum,
Nomine quemque vocans, atque ora sonantia fraenis
Prensabat dextra, atque humeris aptabat habenas.
Inde Parens Puerique ambo Seniorque coruscis
Consedere jugis; obscuroque aëre septi,
Qua procul ad stadium miranda palatia surgunt,
Aethere stellato liquidum per inane redibant.

Fas mihi nunc rerum felici abscondita nocte
Efferre in lucem memoranda arcana sub auras;
Fas audita loqui, tantisque oblivia rebus
Demere, siqua latent, memorique adjungere famae.

Jam claras aedes, jam limina celsa subibant.
Ecce autem extremis mediisque penatibus omnis
Plena novis strepit hospitibus domus: ecce per aulas
Obvia, perque fores passim, perque atria magna
Turba ingens matrumque virumque effusa ruebat.
Nempe aderant veterum Abramidum de sede piorum
Selecti manes, proavi sanctique parentes
Virginis (his nuper supera ad convexa parumper
Ire datum, et Puero et magnae deferre Parenti
Obsequia). Ante alias complexu ecce obvia inani
Anna Parens in colla ruit, notaeque per auras,
Ut quondam, resonant voces: Ne subtrahe vultus,
Ne metue, o gnata: en genitrix tua, corporis expers:
Illius at simulacra vides; non veraque imago est,

---

V. 228. Vectus aethere quondam. IV. Regg. 2, 11. Thesbites. VI, 90.

V. 253. Anna, uxor Joachim (Jojakim), mater s. Virginis Mariae. Niceph. hist. eccl. 2, 3.

V. 254. Edit. Veneta pro ut l. ceu.

V. 256. Edit. Venet. pro at l. hic.

Quam cernis: sed praesentem te, Filia, miris
Amplector, videoque modis. Nec lumina possum,
Nec vestes, nec mortalem discernere vultum,
Spiritus exutus membris. Sed pulchrior ingens
Longe alia apparet species, animamque nitentem
Perspicio insolitis radiis, cui corpus inhaeret
(Cernere quod nequeo), nebulae circum instar opacae.
Oscula redde mihi, mea lux, quae sentio; quanquam
Sparsa tibi haec eadem volucres videantur in auras.
Parte alia Elisabe pavidum complexa puellum
Alloquitur longaeva suum; similisque tenenti,
Coeca velut, rogat, an tergo circumdata zona,
Ut quondam, prensumque manu contrectat inani,
Hortaturque loqui; propiusque adnixa laborat
Ingerere antiquos vultus et nomina nota.
Mene, puer, nosti, tenerum quem montibus olim
Infantem texi, pueris cum bella moveret
Impius ille, cavoque specu jam lassa biennem
Te moriens liqui? Tales dabat illa querelas;
Quas strepitus Patrum tegit ingens undique circum
Infantem Divum. Hic citharis insignis eburnis
Regis Idumaei, Joachimi atavique Manassis,

---

V. 260. Edit. Veneta:
Spiritus exutus membris terrestribus. Atqui

V. 266. Elisabe. Cfr. III, 288.

V. 274. Impius ille. Cfr. III, 409.

V. 275. Edit. Venet. addit:
Te moriens liqui? Quae sors exinde sequuta?
Quae rerum series? Tales dabat illa querelas;

V. 278. Regis Idumaei (I, 34) scil. Davidis, opere Psalmorum ss. magnisque aliis rebus gestis celeberrimi. I Regg. c. 16 sqq. Stolberg Gesch. d. Relig. Jesu. III.

Joachim. Cfr. VI, 253. Manasses, Josephi filius, quem Jacobus nepotem adoptavit, caput unius tribuum Israel exstitit, itaque atavus Hebraeorum. Cfr. Gen. 48, 5 sqq. Num. 1, 10 sqq.

Pantheris, Jesse, atque ingens senis Abrahae imago,
Isacique pii sera de stirpe nepotes:
Vestibus in niveis omnes oleaque virenti,
Et semper vivo redimiti tempora flore.
Una omnes subiere aulam, quae maxima tecto
Sese aperit medio. Crystallina pensilis ingens
Tergemina effulget lampas, centumque minores
Aëre dependent: aurataque brachia longo
Ordine sustentant ardentes undique ceras.
Hic acies pictae innumerae, et seges aspera Martis;
Aere graves equites, hastae galeaeque comantes,
Et clypei, atque omnem sacer horror circuit aulam.
Scilicet in divum Puerum Styx effera quotquot
Eductura olim furias horrentiaque arma
Cernere erat, pictosque duces et fortia facta
Magnanimum Heroum, pugnataque in ordine bella.
Hinc Constantini labara exundantia ventis,

---

V. 279. Pantheris i. e. pantherini hominis, qui variis artibus et dolis agit (Plaut. Epid. 1, 1, 16). Jacob patriarcha subintelligitur, qui Isaac patrem dolo cepit, ut jus primogeniti acciperet. Gen. 27.

Jesse. Cfr. I, 204.

Abram (pater excelsus), deinde Abraham (pater numerosae sobolis) dictus, filius Thare (Therah), et animi candore et pietate insignis. Gen. 15 sqq.

V. 284 et 285. Edit. Venet. legit:

Sese aperit medio. Centum crystallina lychnis
Pensilis effulget lampas.

V. 288. Mars (Ἄρης) s. Mavors, filius Jovis et Junonis, Deus belli praeses.

V. 291. Styx. III, 112.

V. 295. Labarum (a λάφυρον, exuviae hosti vivo detractae, sive a λήβω, λάβω, capio), vexillum militare auro gemmisque intextum, erat hasta longa, a qua pretiosus pannus cum Imperatoris imagine pendebat. Huic Constantinus M. coronam imposuit cum cruce et literis initialibus nominis Jesu Christi, quod contra Maxentium pugnaturus crucem in aëre cum verbis ἐν τούτῳ νίκα vidisset. Cfr. Euseb. vit. Constant. I, 28 — 30.

Romuleisque aquilis Crux addita, visa per auras:
Inde Godefridi vexilla et Maurica caesa
Agmina, Arianaeque acies et Thracia bella.
Nec tantum veteris, sed et aevi Mars quoque nostri
Effigies, atque arma virum spirantiaque ora
Parietibus pictis variisque tapetibus errant.
Namque hic aeratas classes, Venetosque leones
Litora spectabant, Maurocenique triumphum
Jonio e ponto in patriam nova sceptra ferentis.
Parte alia heroes magni Lotharingus in armis
Et gener Augusti Bavarus, duo fulmina belli;
Ductoresque alii mediis in millibus ibant.

---

V. 297. Godefridus (Goffredo) de Bouillon dux belli ad Palaestinam expugnandam facti 1096. Cfr. Tasso: la Gerus. liberata. Maurica sive Arabum agmina a Carolo Martello, Francogallorum duce, inter Limonum (Poitiers) et Caesarodunum (Tours) anno 732 p. Chr. devicta.

V. 298. Arianaeque acies. Arius quum (319) Christum Deum esse negaret, multarum in Oriente discordiarum atque bellorum auctor fuit. Sozom. hist. eccl. I, 2 sqq. Epiph. haeres. 49, 3.

Thracia bella. Gothi fidei Arianae addicti, atque sedibus suis ab Hunnis, Asiae populo, expulsi novamque patriam quaerentes Thraciam aliasque regiones devastabant.

V. 302 et 303. Venetosque lones — Maurocenique triumphum. Franciscus Maurocenus (Morosini nat. 1618 mort. 1694), qui multas Graeciae urbes insulasque Turcis bello ereptas in Venetorum potestatem redegit, duas leonum statuas Athenis anno 1687 expugnatis Venetias asportavit, ubi ante armamentarium nauticum positae sunt.

V. 305. Lotharingus i. e. Carolus III, Dux Lotharingiae, diuturnis bellis adversus Ludovicum XIV (1648 — 1700), regem Galliae, atque Leopoldum I, Imperatorem Germaniae, implicitus.

V. 306. Gener Augusti Bavarus. Maximilianus Emanuel, Elector et Dux Bavariae, virtute bellica insignis, Leopoldum I, Imperatorem Germaniae, adversus Turcas, qui (1683) jam in eo erant, ut Viennam expugnarent, adjuvit. Quibus victis atque repulsis Imperator ei Mariam Ar[illegible] in matrimonium dedit.

Tuque etiam palmis superesses, Jule, Sabaudae
Gentis honos, primis cui mors florentibus annis
Invidit, ne laetam urbem conversaque fata
Aspiceres belli, quorum pars magna fuisses.
At late in medio Geticus revolutus in omnem
Pannoniam it torrens, cui vix satis ampla camelis,
Armentis et equis potoribus, atque trecentis
Europae atque Asiae collectis gentibus urna
Danubii: Austriacis successu turgidus horrens
Ire superfusus rupto aggere cernitur arvis.
Hinc miserae matres profugae per tela, per enses
Crinibus effusis, lamentisque astra cientes,
Queis media e flamma gremio asportata supellex,
Aut caesus conjux, aut rapti in vincula nati,
Inter equos currusque latent, confusaque castra.
Migrantum plena arva fuga, plena omnia luctu,
Horror ubique, metus, faciesque miserrima belli.
Nec procul Austriadum obsessam discrimine in arcto
Cernere erat sedem; tercentum millia circum
Quam Thracum immensa valli obsidione coërcent.
Omnibus it tortus circum cava tempora turbo
Lineus implexus spiris, latera ardua cingit
Fascia versicolor: vario Babylonica textu

V. 308. Ludovicus Julius, Comes Sabaudus et Marchio Salutiae (Saluzzo ad Padum), natus 1660 et tribunus militum a Tataris 1683 occisus est.

V. 309. Edit. Veneta legit:
Gentis honos, cui mors praeceps florentibus annis

V. 312. Geticus torrens i. e. Danubius sive Ister. I, 15. 17. Getae populus ad mare nigrum.

V. 325. Edit. Venet. pro obsessam legit positam.

V. 326. Sedem Austriadum i. e. Viennam. VI, 306.

V. 327. Thraces h. l. Turcae, propterea quod Thracia (Rum-Ili) Turcarum est.

V. 330. Babylon (III, 73) arte acu pingendi et texturis versicoloribus clara. Mart. 14, 150.

Arva tegunt pictis tentoria serica velis.
Heu, quae tum miserae facies, quae vota parentis
Italiae! heu, propior flammae quibus anxia curis
Litoris Adriaci regina, urbsque alma Quirini,
Ignarae quid fata parent, quo pondere vergant!
Qui gemitus, quae fama omnes male fida per urbes!
Posteritas (si non sera illa extremaque mundi es,
Visura excidium rerum) ne talia speres,
Posse tuis memoranda adeo contingere seclis.
Ecce autem picta in summis laquearibus aula
Numinis apparet, puraque in veste Sacerdos
Maximus effusis lacrymis, avertere cladem
Si queat; et Caesar supplex Augustaque conjux,
Et nati gemini, atque omnis Germania moerens,
Hungaricusque aderat Divum chorus, ipsaque sceptri
Pannonici custos Virgo, veniamque rogabant.
Namque hos e coelo armipotens objeeerat aegris
Terrores populis Divum Pater atque hominum Rex,
Vota auditurus miserorum et jacta sub auras
Lamenta et gemitus: Queis denique motus, ab alto
Aethere prospiciens, oculos ad moenia torsit
Jam centum perfossa locis: simul armiger Ales
Aere cavo insonuit, sonitu quem Vistula longe
Audiit atque Hypanis, gelidique Borysthenis unda;
Audiit et longe nivibus glacialibus horrens

---

V. 334. **Litoris Adriaci** (Adriatici) **regina** i. e. Venetiae. VI, 302. **Urbs alma Quirini** i. e. **Roma.** Quirinus nomen Romuli, qui Romam condidisse fertur. Cic. Tusc. 1, 12.

V. 341. **Sacerdos Maximus** i. e. **Innocentius** XI. (Benedictus Odescalchi) nat. 1611, Pontifex Max. creatus 1676, mort. 1689.

V. 343. **Caesar supplex** i. e. Leopoldus I. Cfr. VI, 306.

V. 353. **Vistula** (Weichsel) fluvius Germaniae orientalis, quam a Polonia disterminat, Balticumque mare petit.

V. 354. **Hypanis, Borysthenes.** Cfr. V, 274.

Carpathus extremusque Albis Rhenusque bicornis.
Undique convenere duces, tremit excita tellus
Ferratis plaustris. Hic sors, hic alea rerum
Suprema, hic spes Europae, collectaque virtus.
Nec mora: per densos cuneos, per fulmina valli,
Per segetes ferri horrentes, hinc turbinis instar
Sauromata, hinc Lotharus Mavors, et Noricus; inde
Flos almae Hesperiae atque omnis gens accola Rheni,
Quique Amisim Traunumque bibunt gelidumque Visurgim,
Hercyniosque colunt saltus, ceu montibus acti
Torrentes profugos de moenibns urbis agebant.

---

V. 356. Carpathus (Carpathii montes) per Hungariam ad Sarmatiam usque Europaeam pertinet.
Albis (Elbe) fluvius Germaniae, qui oceano germanico miscetur.
Rhenus bicornis (Virg. Aen. 8, 727) dicitur, quia duplici ostio in oceanum septentrionalem influit.

V. 358. Edit. Venet. pro ferratis legit aerisonis, et pro huc l. hic.

V. 359 sqq. Edit. Venet. legit:

Extrema, huc demum fatis adducta supremis
Lis Asiam Europamque inter, cui pareat orbis.
Mens eadem cunctis praedonem arcere cruentum
Moenibus obsessis, aut certae occumbere morti.

V. 362 sqq. Edit. Veneta:

atque hinc
Saxones et Cimbri atque Hassi gensqne accola Moeni,
Et Nicri atque Amisi et Vahalis, quosque alluit Eder,
Quique Istrum.

V. 362. Sauromatae i. q. Sarmatae gentes slavicae.
Lotharus Mavors et Noricus. Cfr. VI, 305.

V. 363. Flos Hesperiae. Cfr. IV, 427. VI, 308.

V. 364. Amisis (Amisia, Ems) fluvius Germaniae septentrionalis.
Traunus (Traun) imperii Austriaci fluvius, qui Danubium petit.
Visurgis (Weser) fluvius Germaniae, qui in oceanum germanicum influit.

V. 365. Hercynii saltus i. e. montes Germaniae, qui ab Alemannis haud procul a Rheno incipiunt, ramosque variis nominibus per mediam Germaniam extendunt. Mela 3, 3. Caesar b. g. 6, 24. Tacit. G. 30.

Famaque jam toto signum dabat aëre cladis
Aere cavo ingenti. Centum urbes, oppida centum
Caesareas acies victriciaque arma canebant.
Omnibus in pagis ludi, combusta superbi
Mustaphi simulacra viis, profusaque dona
Larga meri, in mediis passim convivia pratis.
Ipse autem niveo altus equo, pulcherrime, cultu
Hungaricoque insignis acinace rite vetustis
Cerneris, Austriade Joseph, succedere regnis.
Stant circum Illyrici atque Daae extremique Triballi,
Et Moesi et vincti Thraces: ipse arduus ense
Quattuor ad ventos conversus patria regna
Designas. Bello populi mirantur acerbo
Plena ora impubesque genas auroque comantem
Caesariem et pulchrum spirantia lumina Martem.
Talia per muros venturi praescius aevi
Aulai ingentis pictor digesserat Ales.
At majora oculis velo servata latebant.
Nam procul ante ora augustum se tollit ad auras
Pegma pavimenti extrema de parte corusco
Sipario obductum. Post velum scena chorique,
Actoresque latent Genii, pulcherrima pubes,
Aere renidentes fulvo nitidisque cothurnis,

---

V. 371. Mustaphus. Cfr. III, 109.
V. 375. Austriade Joseph. Cfr. I, 19. V, 266.
V. 376. Illyrici. Cfr. IV, 445.
Daae (Δάαι) populi Asiae in Scythia supra Caspium mare. Plin. 6, 17, 19.
Triballi (Τριβαλλοί) populi Moesiae inferioris inter Haemum montem (Balkan) Danubiumque fluvium. Ptolem. 3, 5.
V. 377. Moesi Serviam et Bosniam incolebant.
Thraces. VI, 327.
V. 381. Mars. VI, 388.
V. 389. Edit. Venet. omittit.

In seram noctem spectacula mira daturi
Hospitibus Divis. Titulus de fornice pendet
Oscula Justitiae et Pacis. Jamque aurea rite
Cymbala proludunt chordis: jam pompa latentis
Se retegit scenae; jamque alta silentia poscit
Sibilus. En sensim subducitur aëre velum.
Proh! quae immortalis species, quae Regia, quae lux,
Quae domus aetheria! Hem qualis sedet ardua gemmis
In solio Regina nitens! quot fulgurat astris
Intextum syrma aërium! quas jam dabit illa
Fronte gravi voces! quam plena silentia sancto
Terrore! o Patria, o Solymae caelestis imago!
O superum regio, species stellantis Olympi!
Argumentum operis, Majestas laesa Tonantis:
Justitia hinc acuens iras, Pax flebilis illinc
Exorans veniam. Nodum Sapientia solvit,
Proponitque inter Numenque Hominemque sequestrum
Unigenam, humano velatum corpore Numen.
Discutitur, placet inventum: suprema Potestas
Commissum sibi spondet opus. Sic lite dirempta,
Acceptis hinc atque hinc conditionibus aequis
Oscula Justitiae et Pacis spectacula claudunt.
Talia supremus fortunata otia magnis
Hospitibus Pater indulsit; queis rite peractis
Subvectos iterum curru Jessidas opaco
Aëre Nazareis bonus Ales reddidit oris.

---

V. 392. Oscula Justitiae et Pacis. Misericordia et veritas obviaverunt sibi: justitia et pax osculatae sunt. Psal. 84, 11.

V. 401. Solyma coelestis. Cfr. Apocal. c. 21 et c. 22.

V. 401 et 402. Pro his verss. Edit. Venet. legit:
Terrore! ut tragicis dictis jam praeparat ora.

V. 403. Tonantis. Cfr. VI, 162.

V. 407. Edit. Venet. pro humano ponit nostro.

V. 414. Edit. Venet. pro Jessidas (I, 204. VI, 279) legit: trans nubila.

# LIBER SEPTIMUS.

## ARGUMENTUM.

**Nazareni coelestem Puerum magis in dies admirantur, ejusque subobscuram Divinitatem curiose vestigant. Jonas camelarius iterum ex Aegypto veniens imminentis infortunii metu oppidanos terret. Agar peregrina historiam de Engaddi vinetis narrat; qua audita Alcindus senior afflatu numinis vaticinatur. Vox interim e coelo delabitur, quae prosperum aerumnis ac votis exitum pollicetur.**

At tot mira diu penitus subducta latere
Haud poterant. Deus ipse Pater lucescere quiddam
Jam propius fusca veluti de nube sinebat.
Nam postquam laetis Paradisi e collibus Eden
Nazareos iterum Virgo remearat in agros,
Illa domus, rura illa, amnes vallesque beatae
Elysii invidiam poterant coelique mereri.
Illius augusti species habitusque Puelli,
Undecimus cui jam gyrum prope clauserat annus,
Et nitor et sancti mores et amabilis illa
Majestas jam tum pavidos terrebat agrestes
Numinis ignaros; eademque trahebat amantes,
Mulcebatque feros. Mirantur plena decoris
Lumina, mirantur voces, atque indole in illa

---

**V. 4. Paradisus (παράδεισος) sive Eden h. l. amoenissima beatorum sedes, quo coelestis Puer cum Genitrice translatus erat. Cfr. V, 42 seqq.**

**V. 7. Elysium. V, 50.**

Nescio quid plusquam mortale; animique tuendo
Expleri attoniti nequeunt. Quod sidus in istas
Delapsum terras! quae lux oblata per umbram!
Quis Deus his nostris successit sedibus hospes!
O Pater, an seclis ille expectatus·Olympo
Venturus, qui colla jugo fessa eximat aegris
Isacidis? Quae nos terrent insomnia? quidve
Omina tanta parant? Tales dant pectore voces,
Perculsique stupent. Pueri nutritius ipse
Deliciis impar vix custodita tenere
Clausa sinu ingenuus poterat sua gaudia Joseph.
Atque illum curas inter quandoque fabriles
Aequaevi urgebant patres, variisque premebant
Ancipitem dictis: partes se versat in omnes
Jesseus senior, longeque exordia sumit;
Quaque licet, variis responsa ambagibus exit
Secreta involvens, quae non licet ire sub auras.
At matrum longe tibi lucta molestior, alma
Parthéni, Nazaridum; quibus importuna sciendi
Fervida cura nimis, suetumque impervia quaeque
Rimari ingenium. Contermina Virgo paternis
Debborae erat tectis, quae saepe domestica eodem
Sub lare conjunctis curis muliebribus una
Inter acus et fila diem studiosa trahebat.
Altera arundineum nam stamine versat alabrum,
Inque glomos transfert; discriminat altera telas,

---

V. 19. Edit. Venet. pro Olympo legit ab alto.

V. 21. Isacidae i. e. posteri Isaac patriarchae, filii Abraham. Gen. 21, 2 seqq.

V. 26. Curas inter fabriles. Josephum, qui Christum nutrivit et educavit, fabrum (τέκτονα) fuisse, ex Matth. 13, 55, manifestum est.

V. 34. Edit. Venet. pro suetumque habet solitumque.

V. 39. Alabrum (alibrum) instrumentum, quo fila vertuntur. Isid. Or. 19, 29.

Alternisque trahunt ambae sermonibus horas.
Haec semel haud tenuit sese, quin sedula multis
Rem peteret precibus, quam pertentaverat ante
Lusibus obscuris; nunc vero exorsa precando
Sic fatur dictis. Maria, inquit, per vetus istud
Commune hospitium primaeque crepundia nostrae
Aetatis simul exactae, quando omnia (sancte
Spondeo) secreto sub pectore dicta reponam,
Nec meus ipse sciet conjux, nec resciet aura,
Quin mihimet studio properare oblivia nitar;
Per si quid merui, per quidquid poscere fas est,
Cara mihi ante alias, cui vox, cui gratia nata
Solamen curis, semel exorabilis esto.
Fare age, quis tandem genius tuus iste? puerne,
An divinum aliquid tibi lapsum ex aethere, ut ipsa
Suspicor, in gremium? Tibi namque simillimus ille
Ore refert adeo toto, teque exprimit ore,
Teque unam; ut certe in terris quasi credula jurem
Non habuisse patrem. Tibi vero tanta venustas,
Atque adeo a partu nil gratia decolor oris,
Nil species laesa, ut possis quodammodo credi
Mater, adhuc virgo. Veniam precor ista loquenti;
Nam tuus ista facit miserae deliria natus,
Crine adeo, gestu, vultuque oculisque decorus;
Ut si mortales Deus ipse assumere vellet
Omnipotens artus (ausim hoc quoque dicere) tales,
Nec credo unquam alios vellet sibi fingere vultus.
Nonne vides, quae forma illi, quae gratia fandi,
Qui decor, alme Parens rerum, quae lumina fronte

---

V. 50 in Edit. Venet. desideratur.
V. 57. Edit. Veneta: Usque adeo te voce refert.
V. 61. Edit. Venet. pro quodammodo legit pulcherrima.
V. 69. Edit. Berol. pro alme perperam legit alma.

Bina micant? ut dicta stupent, pavidique recedunt
Externi agricolae, monstrisque simillima narrant?
Verane quae perhibent? venisse Orientis ab ora
Illius ad cunas reges, humilique coruscam
Insedisse lari stellam? vinetaque eodem
Tempora, bruma licet foret aspera, colle propinquo
Vernasse? Auditum hoc memorant a Beride quadam,
Quae modo Sunam habitat nupta illic; ipsaque flores
Testatur quondam, atque uvas vidisse recentes.
Sed quid ego haec longe revoco, atque antiqua revolvo?
An non haec pariter nobis memoranda canebat,
Hisque etiam majora hospes narrabat Jonas?
Quin etiam, nostros cum lis foret inter amantes
(Quamquam alio te sub coelo tunc Memphis haberet),
Sub noctem pueris manifesta in luce repente
Dona ferens aderas; eademque invecta per auras
Arboribus super, atque inter cava nubila visa es
Ictu oculi praesens; dum te nemus inter opacum
Quaerimus, et nati miramur munera fontis.
Ex illo attoniti quae Divum ostenta tuemur!
Quot vates horrenda monent! quae visa reportant!
Ipsi etiam nostri cum matutina bubulci
Armenta educunt stabulis, per gramina sparsos
Inveniunt flores, peregrinaque lilia passim.
Mirantur loca, qui possint ea candida ferre
Germina, quaesitumque diu: extremoque repertum,
Qua tibi, qua puero interdum mora facta per agros,
Alba ligustra illic violasque erumpere ad auras,

---

V. 77. Suna. Cfr. IV, 97.

V. 81. Jonas camelarius. Cfr. lib. I, 169 seqq. 160 seqq.

V. 83. Memphis. I, 87.

Et rorem interdum, aut liquidi vestigia rivi.
Nunc autem haec animo relegens simul omnia mecum
Quid statuam, fateor, coeca vetor obsita nocte:
Somnia cerno vigil, miris feror anxia monstris.
Quod te per superos, per magni Numen Olympi,
Perque tuum hunc Solem, semel haec perplexa resolve,
Atque arcana doce. Tibi fida silentia juro:
Hic citius paries commissa arcana loquetur,
Quam retegam quidquam. His dictis pulcherrima Virgo
(Nam quo rem tegeret? quo se converteret anceps?
Quidve aliud poterat?) velo sese illa ruboris
Virginei totam deprensa in luce tegebat,
Purpureo similis panno, similisque Damasci
Coccineae rubicunda rosae. Tibi finge retentum
Imbris iter fluidi puerum, quem turba coercet
Post pluviam ingentem: sic illa exire laborat,
Sic quascunque potest partes se torquet in omnes,
Sic aditus omnes quaerit. Perpauca roganti,
Ut decuit, responsa dabat: cum pulcher Jesus

---

V. 98. Edit. Venet. addit:

Quid plura? Hoc etiam memorant: In floribus illis
Si quis captarit somnos sopitus in herba,
Continuo simulacra videt coelestia miris
Ante oculos objecta modis arcanaque Divum.
Hoc mihi narravit Beroë, quae lumina postquam
Clauserat, atque illic paullisper fessa quierat,
Vidit ut innumerae in somnis longo ordine gentis,
Reges atque duces, matres, pueri atque puellae
Ante lavacrum ingens properabant tabida morbo
Corpora certatim sacris abstergere lymphis.
Vidit et impositam praeruptis montibus arcem,
Quam ferrugineo circum tecti aere gigantes
Terrigenae armati frustra obsidione premebant,
Necquicquam et contra reserabant tartara portas;
Multaque praeterea variarum aenigmata rerum,
Quae mens (quippe audita olim) meminisse laborat.

Adfuit, extemplo coram, nec Debbora fando
Explorare ausa ulterius, nec sanguinis ultra
Elicere in vultus flammam: sacer ingruit horror,
Suspensisque animis sera jam nocte recessit.
Talis Nazaridum cura ingens pectora agebat,
Ignoscenda tamen. Quis enim tot mira tuendo
Abdita mortali specie non sedulus omnes
Rimari arderet latebras? non cuncta susurro
Misceret tecta ambiguo? Nam corpore in illo
Exiguo tenerisque annis quis crederet unquam
Esse Deum? Hinc stupor, et velut aegrae somnia mentis,
Hinc animi implexi diversaque murmura vulgi.
Ecce autem Phariis rursum mercator ab oris
Ille bonus Jonas aderat, mercesque Canopi
Donaque coelesti Puero Matrique ferebat.
Isque palam patrio in coetu miranda Puelli
Altius inseruit suspecta aenigmata genti,
Terroremque tulit trepido sic ore locutus:
Nazarei cives, genus alto a sanguine Judae,
Dicite, quis vestrum concurrere cominus ausus
Cum Styge? quae vobis bellatrix foemina? quisve
Ille Puer, cui tantum odiis infensus Avernus?
Namque (ut longaevus retulit Pellaeus aruspex)
Ex adytis templi post longa silentia tandem

V. 129. Phariis. Cfr. I, 2.
V. 130. Mercesque Canopi. Cfr. I, 68 sqq.
V. 135. Juda (Judas) quartus filiorum Jacobi patriarchae et Liae (Leah). Gen. 29, 35.
V. 137. Styx. III, 112.
V. 138. Avernus. III, 60.
V. 139. Pellaeus aruspex i. e. Jonas camelarius (VII, 81) ex Aegypto veniens. Pellaeus enim ad Alexandriam Aegypti ab Alexandro M. Macedonico sive Pellaeo (a Pella capite Macedoniae) conditam, et ad ipsam quoque Aegyptum saepe refertur. Lucan. 5, 60.

Haec vati responsa dedit latrator Anubis:
Vae miseris, duro quos bello asperrima virgo
Nazarea de gente (nefas) sub tartara mittit!
Vae diis noctivagis ausis ferre arma sub axem!
Causa mali tanti demissus ab aethere magno
In terras Puer. At contra pro talibus ultor
Mox aderit juvenis Samarita. Ille aequa superbis
(Spero equidem) superis referet; nova bellaque vindex
Exciet, et poenas caesa sibi virgine poscet.
Talia vulgabat populis oracula Jonas,
Pendebantque animis, ecquis Samariticus iste
Laturus triste exitium, quae victima virgo
Danda neci, quae dira lues impendeat arvis.
Praeterea fuit in Libani convallibus imis
Armenti custos. Huic improvisus ab alto
Fatidicus menti furor incidit; ipse per omnem
Mira Palaestinam ventura horrenda canebat.
Et Samarim digito ostendens: vae, perfida pellex!
Vae tibi, vae Babylon, scelerati numinis hospes!
Vae Galaaditis sponsis! Nec plura: sed omnes
Ipse etiam indigenas terrebat et oppida vates.
Nec satis. In somnis alii quoque nocte silenti
Haec eadem moniti passim ventura ferebant,
Inque Deo Puero spemque effugiumque locabant.

---

V. 141. Anubis, Deus Aegyptiorum, vultu canino praeditus Horizontem repraesentabat, quod et orientis et occidentis solis custos fingebatur, quam ob rem a Virgilio (Aen, 8. 698) latrator dicitur. Cfr. Jablonsk. in Pantheo Aegyp. 5, 1.

V. 147. Samarita juvenis. Cfr. VIII, 18.

V. 150. Edit. Veneta: Talia narrabat vulgata.

V. 154. Libanus. V, 71.

V. 158 Samaris i. q. Samaria (Joseph. bell. jud. 3, 8. 1), Cfr. III, 47.

V. 159. Babylon. III, 73. VI, 330.

V. 160. Galaad (Gilead) provincia trans Jordanem (II, 351). Cfr. Jos. Antiqq. 13, 14. 2.

Ille dabit vobis magicas eludere fraudes,
Isacidae, ille Deum mentitum arcebit Idume:
His igitur dictis horrebant undique agrestes.
Hinc Samaraeae excisa omnis commercia gentis,
Inque dies magis atque magis plebs territa monstris,
Nazareoque super Puero mens omnibus anceps.
Omnibus in votis aliquam exalbescere lucem
E coelo, atque alte injectam rarescere noctem.
Da, Pater, augurium, qui praevius igne columnae
Isacidas quondam deserta per avia duxti:
Quique olim precibus victus sitientibus undam
Cautibus e duris, dona insperata, dedisti:
Da finem curis, atque atram disjice nubem.
Talibus orantes onerabant sidera votis.
Cum tandem tenuis resplenduit aethere fulgor,
Inque atris fulsit spes improvisa tenebris;
Spes, inquam, quam forte tulit peregrina puella
Historiam veterem narrans. Rem fusius omnem
Altius ordiri, seriemque ab origine praestat,
Et varia, ut possum, intertexere stamina telae.
Nam semel hibernis circumfusae ignibus Esther
Atque uxor Jonathae et Damaris longaevaque Charmis,
Nazariaeque aliae, strepera ingentique corona,
Ad risum faciles, pars vellera crudaque lina
Carpebant; aliis labor hirtis solvere echinis
Castaneas; aliae torquebant stamina fusis.
Forte autem reliquas aderat spectabilis inter

---

V. 166. Isacidae. VII. 21. Idume. I, 34.
V. 166 inter et V. 167 Edit. Venet. interponit:
Hunc precibus servate piis, huic rite Sabaea
Thura date, et sanctis jam nunc assuescite votis.
V. 174 et V. 175. Confer Exod. 13, 21 sq. cap. 17. c. 40, 36 sq.
V. 187. Streperus i. q. strepens.

Nupta recens Agar, Engaddi e rure puella,
Cui patriis profugus tectis formosus Heberus
Nupserat, inque suas nunc primum vexerat aedes.
Hanc croceis vittis aurumque imitante orichalco
Insignem, faciesque novas, nova rura timentem
Turba peregrinam paulatim assuescere blandis
Cogebant refugam dictis, trepidamque ciebant.
Primaque Charmis anus de more interrogat, utra
Rura magis placeant, Engaddi an Nazareth? Illa,
Cui pudor ingenuus nativaque gratia linguae,
Haud meditata diu responsum: Nazareth, inquit.
Vestigare instat. Quae vero his dignior oris
Causa morae? Illa autem: Mariae pulcherrimus almae
Natus. Et huic puero jam tu intima (Dammaris infit),
Vix quinque exactis hic solibus hospita? At illa:
Infantem in cunis vidi, cum poma rigenti
Nata hieme, atque uvas, et texto in vimine flores
Attulimus. Flores? (ait Ammon) poma rigenti
Nata hieme atque uvas? Hic ingens orta cupido,
Engaddi ut quondam vernarint rura decembri,
Cujus inaudierant aliquid, sed nubila erat res.
Attamen et senior Jesse et longaevus Obedon
Nescio quid memori confusum mente volutant:
Ipsaque vineti procul hinc mirabile quiddam
Dictum olim repetit Charmis memor, ipsaque flores
Nescio quos semel auditos reminiscitur Esther.

---

V. 192. Engaddi (Engedi) urbs antiqua in tribu Juda prope mare mortuum. Jos. 15, 62. Joseph. bell. j. 3, 3. 5.

V. 193 et 194. Edit. Venet. emendat:

Quam patriis profugus tectis formosus Heberus
Nunc primum in patrias sibi nuptam duxerat aedes.

V. 208. Edit. Venet. pro flores l. quondam, versusque 208 et 209 sic contrahit:

Attulimus flores. Hinc ingens orta cupido,

O age, dic, oro, seriemque ab origine miram
Incipe. Foemineo simul illam murmure magno
Constituunt coetu in medio, interruptaque pensa
Paulisper ponunt, remque omnem audire laborant.
Quae simul ac vidit conversa in se ora, rubore,
Ut decuit, suffusa genas, formidine tandem
Deposita, sic orsa loqui: Jam talia dudum
Credideram, fateor, vestris quoque didita terris,
Nec latuisse sonum. Sed quando ingentis ad aures
Prodigii tenuis vix rumor seraque fama
Accidit, ipsa oculis quae praesens testibus hausi,
Expediam paucis; nec enim sine numine divum
His ego nupta oris vestris, nec inutilis hospes
Munera parva olim referam. Bethlemia in arva
Visendi studio (undecimus jam vertitur annus)
Ad Jesum infantem pastorum credula dictis
Forte ierat mater. Sera dein nocte reversa
Engaddum pluvio imbre fluens lutulentaque coeno,
Ut nunc, hibernum circa ignem et fumida ligna,
Dum chlamydem ponit, madidos dum siccat amictus,
Narrabat nobis, quae viderat. Heu, quibus illa
Ebria deliciis miris! quae visa canebat!
Nec finis fandi quam dia puerpera; quot se
Vinctam illi obstrictamque modis; quam candidus illic,
Quam roseus Puer inventus, quam frigore paene
Exanimis miser! O qualis! qui fulgor ocellis!
Mille modis variis secum dulcedinis haustae
It volvens animo sensus, atque exprimit ore.

V. 219. Edit Venet. pro magno ponit circum.

V. 231. Bethlehem (domus panis, ob ingentem frumenti copiam), cujus nomen antiquum Ephrata, in tribu Juda erat sita. Gen. 35, 19. Euseb. de loc. hebr.

V. 243. Edit. Venet. legit:

Exanimis! qualis superi! qui fulgor ocellis!

Ire iterum juvat, atque illi se Beris eunti
Atque ego multa gemens, et Zelphe ac denique cunctae
Adjungi oramus comites. Lux crastina tandem
Ore uno decreta viae: modo cesserit imber,
Candidiorque dies madidum deterserit Austrum.
Ergo parens, veteri ex arca dum sedula tostam
Depromit Cererem, rugosasque eligit uvas,
Quas Mariae et puero designat munera; flebat
Importunam hiemem, flebat sine floribus hortos,
Culpabatque nives mutataque balsama olivo
Nuper Ithuraeo. Quam vellet melle liquentes
Nunc misera octobris ficus et nectare plenos
Nequicquam botros! O nostra ubi cerea pruna!
O nostri, ajebat, nunc mala rubentia ruris!
Heu glacie, heu canis horrentia cuncta pruinis!
    Audiit haec Pater omnipotens de vertice Olympi,
Cui Zephyri parent, cui ver, cui pomifer annus
Arrisitque bonus, spemque omnem et munera vicit,
Improvisa repente ferens mirandaque dona.
Namque ubi prima polo rubuere crepuscula lucis,
E specula caput impexum caprarius Alcon
Protulit, observans ventos et nubila coeli,
Sublatisque tuens oculis sine nubibus axem:
Bella dies, inquit, nostris accommoda votis!
Oh! quis odor veluti florum! vitisque tenellae!
Hem! flores! flores et poma! Alphaee, Manasses,
Zambris, io! Simeon, uva et narcissus in horto.

---

V. 252. Ceres. IV, 414.
V. 256. Ithuraeus. V, 481.
V. 257. Edit. Venet. pro misera legit utique.
V. 268. Edit. Veneta:

Sublatisque oculis innubem ut vidit Olympum
Undique egelidam sensit de montibus auram

V. 270. Edit. pro vitisque tenellae legit myrtique recentis!

Hei mihi! nocte diu vigili (nam tempore longo
Laetitia insomnem tenuit) tum roscida primum
Attulerat lassis membris aurora quietem.
Jamque orto sole et diffuso lumine nostri
Immemores aliae per florea rura puellae
Errabant laetis clamoribus. Excita somno
Audio garritus confusaque murmura vocum.
Hem, Rachel, Rachel, quot in uno persica ramo!
O bella! Hic violae, hic violae et fraga; hic quoque fraga;
En cerasa, en cedri; pueri, ne carpite; Zambri,
I propere ad matrem, calathos ferat; aspice, Ebere,
Aspice, per superos, haec arbuta: suspice Ruben,
Quae mala insistunt tibi pendula: Perge puella,
Quae mora? perge cito: Fugit illa simillima vento;
Mater, io! improvisa aestas, miracula rerum,
Turgentes uvae, pyra pomaque nata! Relicto
Ocyus e strato miris feror excita monstris:
Nec mora longa, adsum cum matre et corbibus: una
Consequitur Zambris soror, atque incompta Nohemis,
Vix possum haec memorans lacrimas retinere cadentes.
Tollimus ad coelum palmas, stupefactaque circum
Lumina versamus. Sunt haec coelestia dona,
Quae tetigisse nefas, ait Abra; intacta feramus
Bethlaeo Infanti: Foliis insterne quasillum,
Sephora: vos violas, vos porgite fraga, puellae;
Vos, juvenes, truncis insistite, citraque nobis
Dejicite ex alto. Insistunt ramalibus ambo
Protinus exertis Jonathas et Beno lacertis:
Cerea pruna cadunt melimelaque perlita rore:

---

V. 286. Edit. Venet. addit:

Latratu festo sequiturque catellus euntem.

V. 291. Edit. Venet. mutat:

Consequitur soror atque incomtis Sara capillis.

Grandinis in morem succusso persica trunco
In viridem labuntur humum. Supponite, matres,
Huc gremium, huc corbes; tibi pomum hoc, Sara, bilibre;
Hoc tibi, tende sinum, Zelphe. Quid singula narro,
Quae vidi his oculis praesens, hisque auribus hausi?
Jamque omnis veris pompa autumnique sub alta
Ilice erat foliis cooperta et odoro adianto.
At quinam ferrent Puero redolentia dona,
Lis erat et magnum certamen; nam sibi quisque
Id cupiebat onus, sibi certatimque quasillos
E manibus rapiunt; instant pueri atque puellae,
Contenduntque super. Res tandem ad jurgia venit;
Cedere nec Zelphe vult Dina, atque utraque certat,
Foemineisque utrinque sonat garritibus aether.
Ergo pater Ruben litem componere adorsus
Dispositos omnes in gyrum promere jussit
Quemque manum; digitos, quot quisque emiserat, unam
Colligit in summam; tum quemque ex ordine lustrans
Non uno numerat gyro. Sors prima Barucchi,
Cui trifidum guttur, fatuus cui risus in ore
Idem semper erat, risuque excepit eodem
Id quoque: Rubeni sors altera, tertia Zelphes.
Advolat illa statim, capitique celerrima plenum
Aptat utraque manu calathum, quo ditior alter
Non erat, atque illum celarat callida in herbis,
Ne quis surriperet; sequitur dein Sephora nutrix.
Inde ego, tum mater: sors ultima Bersabaeae.
At miseram Dinam fortuna inimica fefellit;
Dissimulare nequit, lacrimasque abscondere vultu
Nititur averso, et lites clamoribus altis
Suscitat, atque alium rursus vult invida gyrum

---

V. 309. Editio Veneta:

At quinam Puero redolentia munera ferrent

Omnino institui. At Ruben maturior annis
Ploranti bonus atque aequus sua munera cessit.
Pergite jam, matres, inquit, nam semita longa est.
Hic ego, Bethlaeos dum vos properatis in agros,
Servabo interea fidus pomaria custos.

Ergo alacres, summo gestantes vertice textas
Viminibus corbes, dextra laevaque prehensas,
Imus per nemora et saltus: sonat undique vallis
Pastorum calamis, thymbraeque cedrique recentis
Late odor efflatur. Mirantur munera veris,
Extantesque rosas calathis et frondea serta
Attonitae passim matres puerique nurusque,
Effusaeque ruunt pagis, atque agmina jungunt.
Venimus ad Pueri cunas jam sole cadente:
Primaque Daphra parens, postquam de more salutem
Obtulit: Haec, inquit, Mater, tibi paucula nostri
Munera vineti tulimus; foliisque reductis
Explicuit dona: et salices et juncea rupit
Vincla manu. Genitrix ut fraga rubentia vidit
Et matutinis rorantia persica gemmis,
Sustulit ad coelum palmas, paulumque morata
Ore super stetit admirans: Unde ista repente
Copia? queis, inquit, decerptae in collibus uvae?
Versabatque manu ridens nunc Punica mala,
Nunc hos, nunc illos flores: mox sedula prono
Vertice cuncta legens texto de vimine botrum
Sustulit ingentem, puerique admovit ocellis
Blande agitans teneras frondes ramumque virentem.
Nec minus hinc Zelphe, hinc Rachel formosaque Beris
Blandiri, autumnumque manu praetendere ocellis.
Ille e fasciolis exertam porgere dextram,

V. 356. Mala circa Carthaginem in Africa plurimum provenientia rubens (Punicum) corium habebant. Colum. 10, 243.

Nudaque brachiola ad visos proferre racemos.
Ast ego ludentis pueri prensare lacertos
Indo ebore, admixto Tyrio ostro candidiores.
Quin etiam, memini, propior scitarier ausa
Infantis nomen; cui formosissima laetos
Advertens oculos, Jesum, inquit Mater, et isto
Nomine Nazareis de finibus (addidit) olim
Monstrum horrendum, immane, ingens arcebis Idume,
Undecies postquam sol signa recurrerit anni.
Sic genitrix pueri; testis mihi turba sororum,
Quae praesens aderat dictis: jamque incipit annus
Fatalis, quem terrifico tunc ore canebat.
His ergo auguriis laetae (nam sidera toto
Jam scintillabant sparsim nitidissima coelo)
Ultima cum lacrimis libavimus oscula cunis.
Inde per obscuram noctem, per coeca viarum
Sublatis paleis, ardentibus atque maniplis,
In patrios hilari cantu remeavimus agros.
  Talia narrabat cunctis mirantibus Agar
Engaddaea, olim praesens quae viderat ipsa.
Atque hinc Nazarii statio gratissima pagi,
Incolae ubi Maria et Jesus, dulcissima jam tum
Nomina, deliciae atque humilis solatia ruris.
  Tum vero attonitis lux tandem coelica oborta est
Prodigio ingenti, spesque improvisa refulsit.
Nam senior Puero et Mariae dilectus, utrique
Jam dudum assuetus laribus, cui foenore largo

---

V. 366. Indum ebur erat praeclarum. Catull. 64, 48.
Tyrium ostrum. IV, 257.

V. 366. in Edit. Venet. omittitur.

V. 371. Idume. I, 34.

V. 383. Engaddaea. VII, 192.

Mentem animumque Pater coelesti afflaverat oestro,
Alcindus vates geminas ad sidera palmas
Sustulit, et plus quam mortali voce locutus:
Nazaridae, Alcindi suprema haec dicta tenete,
Quae, Raguele, tuo sub tecto e sedibus istis
Testibus hisque focis praedico. Videbitis olim
Hunc regum antiqua venientem e stirpe Puellum,
Sublimem Isacidis dare jura, in spemque vocare
Haeredes regni ingentis; vosque illius inter
Sceptra manus velataque membra stupebitis ostro,
Et stabili nexam fixo diademate frontem.
Abrami haec veniet manes mihi fama sub imos.
At precibus nobis placandum Numen Olympi,
Haec si forte piis lacrimis arcana revelet.
Spero equidem, mors atra prius quam luminis auram
Auferat, et veniens mortales exigat artus,
Dandum aliquid nostrae caelo miserante senectae.
Sic reor haud dubiis signis; mihi praescia namque
Vox sonat interior longo jam tempore, nostris
Esse Deum in terris. Sic ille: extremaque dicta
Terrae ingens fragor ac motus tonitruque secutum,
Quo domus ac muri et muris disposta supellex
Stannea, et insertae lauri mensaeque moveri.
Continuo pavidae matres in genua volutae
Jessei vatis trepido ore evolvere carmen:
Cui Deus e coelo adjutor, sub praeside tanto
Nil timeat: dicet Domino, tu rebus in arctis
Spes et perfugium. Nec secius aëre grando
Interea ruit, et venti transversa frementes

---

V. 399. In Edit. Venet. haec tantum leguntur:
Haeredes regni ingentis.
Cetera usque ad V. 402 exclus. desunt.
V. 416. Confer Psal. 90.

Incurrunt portis. Postquam vero ultima ventum
Ad promissa: Olli longaevo namque salutis
Auctorem ostendam (dictu mirabile!), longe
Vox celsa veniens de nube audita per auras.
Ne trepidate, viri Isacidae: „Solymeia templa
„Vere novo petite, et sacra ante altaria proni
„Fundite rite preces. Magnum et memorabile tandem
„Arcanum vobis reserabit Numen Olympi."
Haec evenere hibernae inter rustica brumae
Otia; spes unde agricolis magis aucta sciendi,
Quid tandem Puer ille ferat. Vox omnibus una
Magnum aliquid terris portendi, animisque recurrunt
Multa audita olim; primique exordia veris
Cuncti expectabant: velut aeger taedia longae
Perpessus noctis venientem suspicit almam
Auroram, queriturque diem solemque morantem.

---

V. 424 seqq. Jubebat lex (Exod. 23, 15 sq. c. 34, 23. Deut. 16, 16), ut omnes viri Israelitae ter singulis annis coram Domino apparerent.

V. 434. Edit. Venet. pro almam legit axe.

# LIBER OCTAVUS.

## ARGUMENTUM.

**Simon magus adhuc adolescens puellam virginem Samariae sacrificat Daemoni; et magicis praestigiis se Dei filium uxoremque Selenen Deam jactans vulgo imponit. Deipara Virgo et Joseph coelestem Puerum orant, ut se manifestet. Sed vere ineunte dum templum de more adeunt, in reditu Jesum amittunt. Magus impostor Samaritanos in silvam cogit, quos Selene amore sui et pravis erroribus imbuit.**

Atque haec Nazareos dum spes tenet, almaque coelo
Lux veniens animis paulatim discutit umbram,
Ecce repentinus rursum permiscuit urbes
Judaeae, atque omnem turbo peragravit Idumen,
Nubila coeca ferens et seram in secula noctem.
Quae nuper Libani vates, quaeque hospes Jonas
Paulo ante, atque alii ventura horrenda canebant,
Evenere metu et diro terrore sub ipsa
Anni supremae funesta exordia lunae;
Exemplum memorandum ingens, quid foeda libido,

---

V. 6. Libani vates i. e. Alcindus. VII, 154 sqq. 292 sqq.
Hospes Jonas. VII, 81.

V. 10. Edit. Venet. pro ingens legit olim.

Quid scelerata hominum vesania, quidve malignus
Humanis possit conjunctis viribus Orcus.
Est Silonem inter Samaraeaque moenia vicus
Nominis obscuri Gitton; nunc diruta saxa
Relliquias pagi lentoque jacentia circum
Stagna immota lacu longe execrata viator
Praeterit, et diris sceleratum devovet agrum.
Namque haec Semonis Sanghi natalibus olim
Infamis tellus; magicas hic perfidus ollas,
Fatiferas ceras infandaque plurima tristi
Valle exercebat: nunc illius et quoque flammis
Apparet semiusta domus defossaque luco
Spelunca ingenti et puteus penitissimus, unde
Carminibus manes supera ad convexa ciebat.
Hic quondam, ut perhibent, extrema e Persidis ora,

---

V. 12. Editio Venet. addit:

Scilicet his fretus vafer ille et proditor hostis
Consilia et vultus tegit, horroremque metumque
Flagitiis aufert. Sic olim conjugis usus
Illecebris primum decepit fraude parentem.
Siç ritus cultusque veros, odia, arma necesque
Conjunctis hominum studiis vitioque potentum
Induxit terris; et nunc quoque subdolus iisdem
Artibus in superos bella instaurare parabat.

V. 13. Silo urbs Palaestinae in tribu Ephraim. Judd. 21, 19. Jos. Antiqq. 5, 1. 19.

Samaria urbs Palaestinae mediae clara et in monte sita. I Regg. 16, 24. Jos. bell. jud. 1, 20. 3.

V. 18. Simon magus (Semon Sangchus a Romanis appellatus) Gitton sive Gitta vico Samariae oriundus (Justin. Mart. Apol. 1, 34) Spiritus s. gratiam mercari tentavit. Provincias non paucas peragravit, quas diabolica fraude doloque infecit, et se ipsum Deum suamque pellicem Helenen (Selenen) Deam haberi voluit. Theodoret. haer. fab. 1, 1. Euseb. 2, 14.

V. 23. Edit. Venet. legit:

Spelunca ingenti puteusque altissimus, unde

V. 25. Persis. III, 102.

Patria in arva redux, Phoenicum constitit arvis;
Nondum excantandi ritus penitusque nefandas
Edoctus leges, nondum penetrale sub imum
Carmina ferre potens, necdum alte imbutus Averno.
Ast illic miro succensus amore puellae,
Qua non Sidoniis fuit altera pulchrior oris,
Nec telas depingere acu solertior inter
Phoenissas, fama ante alias celeberrima cantrix;
Nil intentatum demens, nil liquit inausum,
Siqua via insano succederet improba voto.
(Quid non coecus amor cogit?) Nequissimus hospes,
Quo demum Tyria queat urbe abducere: sese
Atque ipsam et sobolem venturam vovit Averno,
Inque vicem magicas accepit perfidus artes,
Queis fretus tandem intempesta nocte Selenen
(Pellicis id nomen fuerat) tulit aëre praedo.
Hic erat ille Erebi vindex, quem Belphegor olim
Successorem oneri et stygiis promiserat armis,
Si fors eventu cessissent bella sinistro.
Huic spes innixae, huic rerum nunc credita summa.
Ergo urbes passim spectris atque oppida Idumes
Implebat miris; tum primo in flore juventae
Mentitus senium, mentitus vertice canos
Rugosamque cutem: visus saepe aethere ferri
Obscuro invectus nimbo, nigrique caballi
Terga premens; visus Jordanem vertere retro

---

V. 26. Phoenicum i. e. incolarum Phoeniciae (Phoenices), regionis Asiae inter Syriam et Palaestinam.

V. 29. Avernus. III, 60.

V. 31. Sidon (hodie Saida) urbs Phoeniciae clarissima ad mare mediterraneum. Joseph. Antiqq. 1, 6. 2.

V. 39. Edit. Venet. pro accepit perfidus legit: in dotem acceperat.

V. 42. Belphegor. III, 72.

Omnigenasque dapes accire et pocula nutu;
Seque Deum uxoremque Deam magno ore ferebat.
Hic demum stygii monitu instinctuque paredri,
Qui comes haerebat lateri, canis instar agrestis,
Collectas silvis et sparsas undique villis
Finitimas gentes Samari media urbe coëgit;
Implevitque forum spectacula mira sequaci
Pollicitus vulgo: heu, quales habitura subinde
Eventus, superi! quantam allatura superbo
Laetitiam fastumque Erebo? Documenta puellis
Virginibus procul a turba rerumque novarum
Insano strepitu, patrios servare penates,
Atque aevi inclusum penetralibus abdere florem.
Forte Palaestinas inter pulcherrima virgo,
Pastori dilecta Helymo, Thamar Galaditis,
Excantatoris ludos visura frequentes,
Huc sociis comitata suis, redimitaque primis
Narcissis violisque comas et tempora sertis
Venerat aequales inter laetissima nymphas:
Hasque inter medias viridi consederat herba,
Successu gaudens et voti denique compos.
Scilicet hanc genitrix paulo ante invita precantem
Et misere flentem, rerumque cupidine tactam
Ire diu vetuit, dictisque aversa tenebat.
Nam quem concursu in tanto juvenumque virumque
Accessum tentes? quo te immiscere procaci,
Innuba virgo, inquit, vulgo; aut quam denique sedem

---

V. 54. Paredri. III, 127. 444.
V. 57. Samaris. VII, 158.
V. 60. Edit. Veneta:
Eventus! quantam mox allatura superbe
V. 65. Edit. Venet. pro forte legit namque,
V. 66. Galaditis. VII, 160.

Quemve locum speres? Alvearia non ita densae
Intus apes stipant, tot confluit agminihus gens,
Cuncta illuc properans; inque atram ludicra noctem
Forte ibunt, reditumque vetat via longa per agros.
Haud equidem pretio tanto placet empta voluptas.
Adde quod ille senex ciet ignes, aëra turbat,
Atque polo trepidam deducit murmure lunam:
Quasque videt praedo raptas vehit axe puellas
Egregias forma, et coecis abscondit in antris.
Addidit eventum Dinae vetitosque hymenaeos,
Quos similis traxit muliebris vana cupido.
Ne me, inquit, precibus victam, ne talibus, oro,
Objice, nata, malis, quae mens praesaga minatur.
Talibus ardentem lacrimis moritura tenebat.
Jamque animos dictis paulatim incensaque corda
Mollierat blandis, melioraque suaserat aegrae;
Ni supplex juvenis sponsus comitesque puellae
Vota inflammassent iterum, curamque levassent
Circumfusae omnes. Lateri se fida juventus
Custodem spondet: Quid vana pericula terrent?
Quae te cumque adversa manent, et nos quoque poscunt.
Sors eadem cunctis. His mater denique victa,
Aegre utcunque ferens, mediam penetravit in urbem
Undantem populo, gnatamque ante ora locavit
Multa timens; propiorque Helymus trabe sedit acerna
Armatus ferro, discrimen in omne paratus,

---

V. 83 in Edit. Venet. non legitur.

V. 89. Edit. Venet. legit et addit:

Quos traxit cupidae muliebris cura puellae.
Addidit et vetitas divinis legibus artes
Pythonum, ludisque nefas adstare profanis.

V. 99. Editio Veneta:

Quae te cumque adversa manent, vel si ruat axis?
Aut vi dissiliat tellus, et nos quoque poscunt.

Eventum opperiens. Jamque atria summaque tecta,
Jam speculas infra supraque aditusque viarum
Atque altas turres plebs undique densa tenebat;
Attonitis inhians animis quid cogitet ingens
Promissor, quae mira ferat; platanisque vetustis
Institerant, magnoque gravarant pondere ramos:
Cum subito effusae horribiles toto axe tenebrae,
Obscuraque omnes densaque in nocte relicti;
Non aliter, quam si Pharia caligine rursum
Velleribusque ater piceis niger ingruat aër,
Inque diem reserent grave olentes Tartara fauces.
Ecce autem procul aspiciunt, qua perfidus alto
Suggestu atque una meretrix consederat, illic
Paulatim tenuem nubem exalbescere, qualis
Cernitur ex ima interdum se tollere valle,
Aut humili vapor e stagno sub vesperis ortum.
Haec lente augeri, et magico splendescere sensim
Lumine multicolor spectro intus turgida miro.
Intonuere repente poli, simul aethere opaco
Diffissa est nebula; et turbae patulo ore tuenti
(Res incredibilis) cum pellice terribilis rex
Nube cava septus miranda in luce refulsit,
Arduus aëria in magna spectabilis aula,
Numinis os habitumque gerens et ferrea sceptra
Nubifero in solio. Postquam alta silentia pleno

V. 113. Pharia. I, 2. Confer Exod. 10, 22 seqq.
V. 122. Editio Venet. adjicit:

Ecce autem ante oculos (dirae praeludia scenae)
Marmoreus leo, quem quondam media urbe locarant
Assyrii, quum regna olim ditione teneret
Salmanasar, rictus extemplo et saxea movit
Ora, deditque sonum, rugituque impulit auras.
Quo veluti signo admonitus ter mugiit Orcus,
Ter mota intremuit tellus; simul aethere opaco

Facta foro, utque acies torvo circumtulit ore
Dicta parans, ut genua solo flexa undique vidit
Perfidus; haec tandem foeda execranda locutus:
En, fortunatae gentes, en denique vindex
Antiqui sceleris, promissus vatibus ille
Numine progenitus, votis precibusque petitus,
Quem venturum olim sacrae cecinere Sibyllae.
Quae causa in terras e summis egerit astris,
Quidve ferat lateri mulier comes addita nostro
Accipite, et memores animos advertite dictis:
Ante chaos primosque ortus et semina rerum
Haec mihi nupta Dea; innumerique hinc ubere partu
Egressi in lucem, nostrum genus, Angeli ab alvo.
Illi autem artifices rerum terramque polumque
Stelliferum, atque hominum pecudumque atque omne natantum
Eduxere genus. Sed fastu opibusque tumentes
Se dominos tali puduit genitrice creatos.
Dejecere polo cum sidereo comitatu
Natorum fido; et miseram per secula centum
Lustraque bis septem mortali compede vinctam,
Inque alia ex aliis transfusam corpora saevis
Exercent poenis. Hinc illa Ennoia primum,

---

V. 133 seqq. Simonis commentum de Selene et Angelis. Ex Irenaeo. I, 20.

V. 136. Sibyllae (a σιὸς aeol. pro θεὸς et βυλή pro βουλή, Dei consilium) virgines decem fatidicae, quarum celeberrimae Erythraea et Cumana fuerunt. Cfr. Serv. Aen. 3, 445. Lact. 1. 6.

V. 148. Edit. Venet. pro et miseram l. atque ipsam.

V. 151. Ennoia (ἔννοια, notio, intelligentia) in Aeonibus, triginta diis partim maribus, partim feminis, Valentiniani Gnostici numeratur. Tertull. adv. Valent. 7.

Post Beli conjux, Heleneque Argiva: Selenen
Nunc vulgus vocat. Heu pudor atque infamia nostri
Numinis! Hanc tandem Tyrio de fornice probris
Turpibus affectam subduximus. En Dea qualis!
Quae facies olli! qui spiritus! Illius ergo
Venimus ex alto in terras, genus omne rebelle
Coelituum ulturi, quorum discordia motu
Cuncta agitat vario. Illi hyemes, fera praelia, morbos
Immittunt terris; quamprimum haec omnia flammis
Hausturi, dum quisque sibi moderamina rerum
Praesumit, coelumque manu in contraria raptant.
Hos simul e superis imum detrusero in Orcum,
Hanc urbem, ignotos terris quae prima recepit,
Imperii sedem statuam; quam Nilus et Indus
Auroraeque amnes extremi atque Orbis adorent.
At mihi vos comitique Deae, et mea jussa secutis
Coelicolis quondam geniis, quos nunc tenet horrens
Sub terris carcer, fraterno crimine ab altis
Sedibus excussos, nigram jugulate juvencam;
Rite adhibete preces, sacrisque imponite flammis,
Ad Boream versi, sedes ubi regia nostra est.
Sic ait. Et ne quid furiis scelerique deesset
(Horrendum dictu facinus, miserabile, foedum),
Matribus atque viris quaerentibus undique jussa
Dona cremanda rogis, injecto errore repente
Obtulit ante oculos taurina fronte puellam,
Te, misera, infelix, te, formossisima Thamar,

---

V. 152. **Belus** (Bel) Deus Babyloniorum. Jes. 46, 1. Diod. Sic. 2, 10. **Helene Argiva**, Menelai regis Lacedaemoniorum conjux rapta a Paride, Priami Trojanorum regis filio, causa (ἑλένη, fax), Trojani belli fuisse fertur. Homer. Iliad. Hor. Sat. 1, 3, 107. **Selene**. VIII, 18.

V. 165. **Nilus**. I, 51. **Indus** V, 276.

V. 178. Edit. Venet. pro **misera** habet virgo.

Quae praesens aderas. Sic visa in luce maligna es
Omnibus obtutu torvo et pelearibus horrens,
Pelle nigra, atque ima verrens vestigia cauda.
Centum illuc digiti intenti, centum oraque versa
E summis tectis, e turribus arboribusque;
Signantumque ingens sublatus clamor ad astra.
Ipsa prior vidit, visuque exterrita mater,
Portenti ignara: En vobis, en victima, cives,
Ante oculos, inquit, sertis et flore revincta,
Sponte petens aras. Simul haec, simul effera, cornu
(Sic rata) corripuit. Nec segnior ipse timentem
Urget agens Helymus. Medios interque tumultus
Erumpens tenuit lanio, obscuraeque tabernae
Ante fores traxit multa exundante caterva
Circumquaque virum. Jam vulnus rite parabat
Mactator ferus: Ecce autem dum brachia nudat
Vagina exsolvens cultrum, dum testea vasa
Subjiciunt alii calidum exceptura cruorem;
Heu matri, heu sponso, de sede tuentibus alta
Triste ministerium, sublata utrique repente est
Ex oculis nubes magica: et natam illa trementem,
Et sponsam hic miseram, pallentem morte propinqua,
Tendentemque manus, et sidera voce cientem
Infelix vidit: reliquos idem occupat error
Et species mentita prior. Ruit excita monstris
Per medios furibunda parens, te, nomine, Thamar
(Namque aliud quid agat?), te, gnata, heu victima Ditis,

---

V. 182 et 183. Edit. Veneta:

Centum illuc digiti intenti, conversaque centum
Protinus e tectis, e summis turribus ora.

V. 184 in Edit. Venet. non reperitur.

V. 190. Edit. Veneta:

Urget agens Helymus. Medium quum denique vulgus
Vi rumpens . . .

Per densos ululans coetus, per tela, per hastas
Praetentosque virum chalybes. Sed victima virgo
Interea jugulum cultro dabat, et fluit ater
Per gladium cruor, atque imbutam sanguine terram
Ore canes lambunt. Tunc mens quoque reddita fidis
Virginibus sociis: flavos discerpere crines,
Et roseas laniare genas: ploratibus aether
Lamentisque forum sonat omne. Heu! territus amens
Ante omnes sponsus, cui caesa miserrima nupta
Ante ora, heu! demens furiis immanibus actus,
Perque ruens medios, lanium stricto ense cruentum
Ter conatus adire, sacris bis terque repulsus,
Nequicquam et genibus nitens, aditumque retentans,
Devovit Samarim diris, numenque nefandum
Horrida vociferans; Tellus Samaraea, dehisce,
Sacrilegosque viros absorbe atque impia tecta
Meque super; manifesta Erebi namque omina cerno,
Teque Deo genitum mentiris, perfide, coeco
Ex Orco impostor veniens. Juvat ire sub umbras,
Incestamque diem fugere execrandaque sacra.
Sic ait, et ferrum conversum in viscera adegit,
Sanguine dans largo vitam. Huic comes addita socrus,
Quae sine fine dabat gemitus, complexa cruentum
Natae infelicis corpus. Nec secius amens
Lymphatum vulgus bacchari, et voce ciere
Te, Satan, comitesque tuos manesque tremendos:
Te coelo immerito excussum, te, Numen Olympi:
Te solum thure et templis atque aethere dignum.

---

V. 207. Edit. Venet. pro sed victima l. at pallida.
V. 212. Edit. Venet. pro ploratibus aether l. exterritus amens.
V. 213 in Edit. Venet. non invenitur.
V. 219. Samarim. VIII, 57.
V. 229 in Edit. Venet. sequitur:

Taenariae ad lumen nubis ferale rubentis

Hasque inter voces bacchantumque orgia dira
Paulatim infernum spectrum vanescere in auras,
Et fatui languere ignes, ac sulphuris ater
Sentiri grave olentis odor, nox sparsaque Olympo.
Verum adeo furiis gens coeca atque ebria Dite,
Insanoque furens oestro, ut discernere nemo
Clara tot indiciis vestigia posset Averni.
Per noctem obscuram redeunt: ululatibus arva
Responsant longe: strepitus stygiique cachinni
Auditi, manesque agris discurrere visi.
Hunc habuit foedum promissa tragoedia finem.
At late in populos atque urbes fama vagari,
Advenisse Deum Samaritis, qui juga fessis
Eximat Isacidis; hunc claro in lumine visum
Nube super poscentem aras; huic rite litatum
Urbe palam media; sermonibus omnia vulgi
Misceri magnis: super omnia serpere rumor
Nazario in pago, et pavidos implere colonos.
Murmur erat, quale illud apum, cum rusticus atro
Implevit flamma crepitante alvearia fumo:
Aut pluvia ingenti, diversis undique rivis,
Cum tumet, atque ingens unus rapido impete pontes,
Ingentesque vehens ornos it turbidus amnis.
Ergo his commotus senior nutritor Joseph,
Coelestis Pueri custos, pro Numine laeso
Saucius et metuens, ne conterranea dictis
Adjiceret gens forte animos; cum conjuge diva
Contulit eventus, penitusque horrore metuque
Complevit teneros sensus; juvat ocius omnes
Obstruere insidiis aditus. Utque anxia mater,
Si forte ingruerit tempestas turbida noctu,

V. 238. Dis. I, 28.
V. 247. Isacidis. VII, 21.

Confestim e strato summotis luce tenebris
Pervigil it tecto parvos invisere natos;
Ne veniens turbo, neu tortus verberet imber:
Haud aliter Virgo praesentibus excita curis,
Proque suis jam tum mater fidissima alumnis,
Assensit dictis, unaque adiere Puellum,
Atque prior trepido Genitrix sic ore locuta:
O superum, o coeli rector, mundi arbiter unus,
Nate, audin' quae bella vetus nova suscitet hostis,
Virginis arma ultus, caesa sibi nuper ad aras
Virgine Idumaea? utque homines adsciverit ultra?
Utque (nefas) falso Judaeam numine tentet
Fallere, si queat, et stygios inducere cultus?
Per Genitorem oro, per sancti flamen Amoris,
Quod spiras, tetra caligine discute mentes
Nazaridum; Numenque tuum (si poscimus aequa,
Si fas, Dive, precor) coelesti in lumine pande.
Adjecit Pater, ut quondam Simeonis in ulnis
Promissa haec eadem tulerat. Quin candida Virgo
Subdidit, ut nascens divina in luce videndum
Se dederat quondam pastoribus; utque remotos
Traxerat eoos manifesto Numine reges.
Nunc eadem supplex Mater, genibusque voluta
Illacrymansque rogo; aut (tantum si tempora forsan
Ferre negant) saltem sic te permitte videri,
Sic, inquam, ut pariter lateas, ceu nubila solem
Clara tegunt: tuque, alme, potes componere utrumque.
Talibus instabat dictis, manibusque decori

---

V. 275. Virgine Idumaea. VIII, 66. 178 seqq.
V. 282. Simeonis. Cfr. Luc. 2, 25 seqq.
V. 286. Eoos reges. III, 408.
V. 292 et 293. Edit. Venet. contrahit:
Talibus instabat dictis, simul oscula fronti

Comebat Pueri crines, simul oscula fronti
Cara dabat, lacrimisque oculos implebat obortis.
Heu quales, miseranda, paras tibi nescia fletus!
Quanto emis haec pretio! quantum tibi fulmen ab alto
Desuper axe venit! Lacrimis nam denique victus
Annuit aetherius Puer: at pro munere tanto
Heu duram, heu tristem, quam nunquam, Virgo, putaras,
Adjecit legem, patrias ut scilicet aedes
Desereret fugiens, atque innotesceret absens,
Quo simul et notus foret, ereptusque lateret.
Inde, ait, amissum dabimus cognoscere munus:
Namque aderit missus praeco, qui nunciet istis
Consedisse Deum terris, hos Numen Olympi
Incoluisse lares: Tuque optima, parce querelis,
Parce Parens lacrimis. Sic ille. At saucia Virgo,
Prima fugae ut sensit praenuncia carmina, vultus
Pallida dejecit, subitoque obmutuit ore:
Nec vocem infelix habuit, nec verba, nec ipsas
In promptu lacrimas. Non haec sententia mentis,
Non haec Mater amans unquam moritura rogarat;
Nec revocare licet, nec fas obsistere contra:
Ausa nec ulterius responsa lacessere dura.
Hoc miseram gnatus lethali vulnere laesam,
Hoc duro fixam telo, exanimemque reliquit.

---

V. 294. Edit. Venet. pro cara l. plura.
V. 296 et 297. Edit. Venet. conjungit:
Quanto emis haec pretio! Lacrimis nam denique victus
V. 299 et 300. Edit. Veneta:
Addidit hanc legem, quam nunquam, Virgo, putaras,
Hanc, inquam, legem . . . .
V. 302 inter et V. 303. Edit. Venet. interponit:
Atque ubi me regio procul hinc diversa tenebit,
V. 303. Edit. Venet. pro inde l. tunc.
V. 309. Edit. Venet. pro subitoque l. pressoque.

Has inter curas tandem pulcherrimus arvis
Extulerat frontem redimitam floribus annus.
Jamque aderant votis optati tempora veris
Expectata diu, et precibus lacrimisque petita.
Nazarei rite ad Solymae delubra frequentes,
Ut primum illuxit, matres juvenesque senesque
Agmine partito campis florentibus ibant,
Alcindi vocem et coelestia jussa secuti,
Audita ex alto paulo ante per otia brumae.
Nulla dies unquam tam pura, innubis et instar
Caerulei rasi visa est, ut mitis, ut alba
Illa fuit: tenuis tantum nubecula velo
Improvisa oculis ausa est abscondere solem,
Triste ferens omen, coelo adversata sereno.
Non edera antiquis intorta tenacius haeret
Parietibus; timida ut nodis et nexibus arctis
Implicitum dextra Puerum tenet anxia Virgo,
Cuncta timens; et saepe oculis intenta revisit
Haerentem lateri comitem. Quid sedula cura
Profuit? Heu! postquam Solymeïa ab urbe redibant,
Obtulerantque preces moniti consuetaque dona,
Heu lassae, heu miserae vix primum limine templi
Egressae, aetheria divinus Spiritus aura
Mortalem eripuit nubem, Numenque tueri,
Arcanumque dedit non enarrabile Verbum,
Coelum oculis reserans, tecta immortalia Divum.
Dumque alte fruitur sopitis sensibus, olli
Elapsum interea immemori, manibusque solutum

---

V. 321. Solymae delubra. I, 6. VII, 424.
V. 326 — 330 incl. Edit. Venet. non habet.
V. 337. Edit. Venet. interserit:
Illa quidem nati dextram memor usque tenebat
V. 338. Edit. Veneta:
Sed miserae ex ipso vix primum limine templi

Eripuit Puerum, spesque irrita cessit in auras.
Nec prius advertit Mater, quam pristina sero
Vespere mens rediit, somno velut excita. Tum se,
Tum comites circum, et latus hinc atque hinc desertum
Atque manum vacuam coelesti pignore sensit.
Quo non jactatae voces, repetitaque Jesu
Nomina, per muros pagi per frondea lustra,
Illataeque faces? quos non adiere penates
Moerentes sociae per opaca silentia noctis?
Semianimis, lugens, et acuta cuspide fixa,
Postquam alte ingruerat sero expectantibus umbra,
Orba suo infelix Nato, caput obsita velo,
Singultusque ciens bona Virgo in tecta redibat:
Tota sequebatur largo vicinia fletu.
Interea vero impostor, quem moverat Orcus
Sidereum adversus Puerum spe laetus inani,
Hoste velut pulso liber campoque potitus,
Antiquam in silvam vulgus deduxerat ingens,
Agricolas Sichemitas atque Amridis, omnes

---

V. 349. Edit. Venet. hisce versibus locupletata:
Jam comites rediere omnes: spes ultima namque
Haec erat hos inter tacite excessisse Puellum:
At spes vana fuit.

V. 353. Edit. Venet. hisce aucta:
Heu quid agant? quo se vertant? namque undique stellis
Tempore jam longo coeli convexa refulgent;
Nec fas nocturnum per iter vestigia retro
Ferre per obscuros calles perque avia coeca:
Ire vetant trepidae matres, arcentque volentem.

V. 363. Sichem (Sichar, Σίκιμα) oppidum in regione Samaritanorum tempore Christi caput Samariae erat. Joan. 4, 5 seqq. Joseph. Antiqq. 11, 8. 6.

Amridis i. e. urbis Samariae ab Amri (Omri) rege Israelis conditae. III Regg. 16, 29 seqq.

Cultores Ephraim et Thersae et Samaritidos orae.
Illic consilio in magno condixerat amens,
Se legem e coelo missam, et nova jura daturum
Vulganda in populos. Aderat quoque perfida vultu
Composito pellex, pulchroque incenderat ore
Rustica corda virum; tali se compserat arte,
Sic nitidis collum baccis, sic tempora vere
Florifero ornarat, gemmisque ardebat et ostro,
Nuda humeros niveosque sinus et eburnea colla.
Nec minus e roseis manabant dulcia labris
Verba, quibus blandum saeva inspirabat amorem.
O mihi dilecta ante alios Samaraea juventus,
Si me progenitam coelo non sidera rursum
Optarent reducem, si non in patria Olympi
Quamprimum inveheret stellantia limina conjux;
Haec sedes, fateor, prae cunctis una teneret
Immemorem coeli. Terras invita relinquo,
Quodve queo, extremum lacrimis obtestor amorem.
Vos contra, si quid merui, per Numen utrumque
Conjugis atque meum vota instaurate quotannis,
Et memorem jurate fidem; meque axe supernam
Credite descendisse Deam. Nil poscimus ultra,
Nec leges alias pono. Sint libera cuique
Arbitria, et vestros ad votum fingite mores;
Neve adeo immites posthac imponite Divos
Gentibus. O miseri, coecis terroribus acti
Huc usque, et vana superum formidine lusi!
Talibus in speciem blandis nequissima virus

---

V. 364. **Cultores Ephraim** i. e. incolas urbis et regionis Ephraim. **Thersa** (Thirza) urbs in tribu Ephraim. Jos. 12, 24. Cantic. 6, 4.

V. 375. Edit. Venet. pro **alios** l. omnes.

V. 389. Edit. Venet. pro **miseri** l. frustra.

Condibat dictis. Frondentibus orgia silvis
Interea laetisque choris largoque lyaeo
Infernisque epulis noctem gens capta trahebat:
Mentitamque Deam stupet, ardescitque tuendo,
Tam belle ad lunam pictos movet arte cothurnos,
Sic vestem rotat auratam gemmisque micantem
Psaltria, sic miseros obtutibus urit amantes.

# LIBER NONUS.

## ARGUMENTUM.

**Oppidani irrito successu et novis inforstuniis Jesum vestigant. Tandem Deiparae querelis motus Deus Pater Angelum mittit, qui primum viatoris senis habitu Puerum indicat, deinde excantatoris praestigias in silva dissipat. Jesus in templo Patribus subobscure se manifestat. Denique Matri redditus in patrium oppidum coelesti comitatu regrediens a Nazarenis Deus agnoscitur.**

Vae quibus haec pellex gemmato praebuit auro
Toxica! vae populis, quos illa afflaverit ore!
Vae quibus inque aures fatali murmure cantrix
Verba susurravit! Nam nunc quoque subdola vultus
In varios inque ora migrat pestemque per urbes
Incedens, lethumque vehit mortalibus aegris.
Fabula narratur seclis conficta vetustis,
Nec vero absimilis. Nam postquam perfida tandem
Morte obita (ut perhibent) Stygium stetit ante tribunal,
Jesseo ecquid de Puero tot damna ferente

---

**V. 7. Haereses Manichaeorum, Ebionitarum et Arianorum unde ortae.**

**V. 10. Jessaeus. I, 204.**

Sentiret, procerum petiit niger undique coetus.
Illa autem: Quantum potui mortalibus, inquit,
Explorare oculis (quidquid gens falsa susurret),
Nil mortale super vidi. Tum celsa Manetes
Tempora concutiens proceraque cornua: In illo
(Mentiris) ficto latet, inquit, corpore Numen,
Nec verum hunc hominem temerarius asserat ullus.
Asserit extemplo Beïon magno ore refellens
Dicta, Deumque negat: Si quis putat, huic ferus amens
Intendit litem et bellum. At putat esse Riarnus
Exurgens contra; contenditque arduus alto
Numine progenitum, magno Genitore minorem.
Paulatim incaluere animi, discordibus irae
Mentibus erupere, atque implacabilis orta
Seditio; inque has inque illas Styx didita partes.
Mens est Tartareis geniis immobilis. Ante
Versus eat Padus, aut duro se robore flectat
Quercus humi, quam quod semel asseruere retractent.
Ergo intestini immortalia semina belli
Jacta Erebo fuerant; nisi dira venefica prompto
Consilio illatas sedasset provida turbas.
Scilicet hoc, inquit, velit hostis; ut ille supremum
Dum vobis parat excidium, nova regnaque condit;
Vos furor et rixae teneant et mutua bella.
Quin agite, et quando sedet haec sententia discors,
Haec eadem vestris prosit discordia rebus.
Hos serite errores terris, hanc spargite labem

---

V. 14. Manetes et infra Beion (V. 18) et Riarnus (V. 20) nomina diabolorum.

V. 25 et 26. Styx. III, 112. Tartareus. III, 200 et 201.

V. 27. Padus. V, 168.

V. 30. Erebus. I, 3.

Utiliter, miseri; sua quisque ad signa sequaces
Mortales trahat: ipsi autem in sua damna vicissim
Hanc vestram dirimant odiis et sanguine litem.
Sic ait. Inferno placuit sententia regi;
Collatisque simul cervicibus assensere
Concordes omnes. Olli data cura per orbem
Ferre tot ambiguas tricas, quas saeva sub Orco
Edidicit prius, et libros digessit in amplos
Per capita. Inde dolis instructa atque arte nocendi
Protinus Aegyptum atque Afros Asiamque per omnem,
Nunc has, nunc illas Erebi sibi sedula turmas
Adjungens tabem, contagia diraque sparsit.
Ex illo quis acerba virum, quis funera fando
Fatalesque vices memoret? Nusquam illa quievit,
Tot sese in facies vertit, tot nomina sumit,
Urbibus opponens urbes, regna aspera regnis.
Nec mora, nec requies: volat exitialis Erinnys,
Hostis aeerba, ferox, civili sanguine gaudens,
Ambitiosa, tenax, popularis, perfida, mendax.
Hoc, superi, monstrum, hanc terris avertite pestem.
Sed jam puniceos surgens aurora penates
Allatura diem roseo reserarat Olympo.
Nazarei vero loca per silvestria circum
Nequicquam exierant, atque arva atque oppida late
Undique lustrarant, Carmelum, Galgala et omnem
Jordanis vallem. Verum spes irrita rursum

---

V. 38. Edit. Venet. pro miseri l. socii.

V. 49. Editio Veneta:

Adjungens tabem late et contagia sparsit.

V. 54. Erinnys. III, 463.

V. 62. Carmelus. I, 484.

Gilgala (Galgal, Gilgal) urbs Palaestinae prope Jordanem et Jericho. Jos. 4, 19. Joseph. Antiqq. 5, 1. 4.

V. 63. Jordan. II, 351.

Projectusque labor. Quin coelo effusa procella
Sub noctem improvisa ruens, commixtaque grando
Terruerat cunctos, profugique in tecta redibant.
Accidit et fessis aliud miserabile. Namque
Illa recens hospes ruris, quam diximus, Agar
Engaddea inter fremitus et murmura venti
Vastum ingressa nemus: perplexa per avia silvae
Ultima dum sequitur comites ignara viarum;
Olli surreptum violento turbine velum,
Delatumque procul dumoso cespiti inhaesit,
Injecitque moram. Ruit humens imbrifer Auster
In faciem, et virides vestes rapit, atque capillos.
Nequicquam socias, quas impetus ocior Euro
Praecipites agit, infelix clamore vocabat;
Nec meminit callis, nec quo se tramite ducat:
Pallentemque metu nox denique coeca tenebris
Occupat errantem; collectisque omnibus una
Defuit ipsa etiam, et sponsum comitesque fefellit.
Talibus implicitum mens provida Numinis arte
Nodum intexuerat mirum; quo laetior inde
Exitus extremus foret, atque in gaudia tandem
Cura ingens luctusque et longus moeror abirent.

Jamque fere medium stellata in veste tenebat
Humida nox cursum, et pluviae ventique quierant,
Nec sonitus nec murmur erat, nisi fontium ab altis
Stillantum ripis, et moti leniter Austri.
Ipse procul somnos labenti flumine torrens
Conciliat, longeque canum latratibus arva

---

V. 69. Engaddea. VII, 192.
V. 74 et 75. Edit. Veneta legit et addit:

Injecitque moram. Ruit imbrifer in faciem Auster
Inque sinum, vittasque rapit, vestesque capillosque,
Insequiturque horrens nimbis pluvialibus aether.

Responsant; tacito dum curru argentea luna
Alta polo incedit per opaca silentia mundi.
Heu misera, heu sola in tenebris sanctissima Mater,
Quanquam lassa viae, secreto inclusa cubili,
Casum infelicem lacrimoso carmine flebat.
Et fletum augebat vicinus lectulus ille,
Sed vacuus, quo membra Puer componere suerat:
Cynthia nam pleno lucens ex aethere cornu
Cuncta ostendebat manifesto lumine: nunc frons,
Nunc decor et facies et viva absentis imago
Ante oculos redeunt, nunc vox hesternaque dicta.
Heu se desertam, tenebrosa in nocte relictam
Confusamque malis! Nam quid, pulcherrime rerum,
Quid tantum, ajebat, potui delinquere mater?
Mater amans, alte nimium sub pectore telo
Icta gravi? Te, summe Pater, te conscia testor,
Non aliud petii, aut volui (quantum aegra recordor),
Quam meus ut Natus praesenti numine certam
Ferret opem fessis; tamen ut simul ille lateret:
Haec mens, hic animus fuit: at non ut miseram me
Desereret fugiens, has unquam velle latebras
Infelix potui? haec genitrix mihi vulnera ferre?
Haec lacrimis precibusque in me convertere tela?
O Nate! o tristes desolatique penates!
O domus! o patria infelix! At sera querelis

---

V. 94. Edit. Veneta:
At sola in tenebris moerens sanctissima Mater
V. 99. Cynthia. IV, 322.
V. 106 et 107 in Edit. Venet. contrahuntur:
Mater amans? Te, summe Pater, te conscia testor,
V. 113. Edit. Venet. pro infelix l. orando.
V. 115. Edit. Venet. pro nate l. patria.
V. 116. Edit. Veneta:
O domus infelix! At jam nunc sera querelis

Tempora. Debueram, cum primum conscia casus,
Nocte remetiri vestigia; cunctaque solers,
Dum jactura recens, exquirere; tale nec ulli
Antea oportuerat poscenti credere pignus;
Nec sinere ipsa manu prensum divellier unquam.
Nunc quid ago? quo me, infelix et saucia, verto
Orba parens, deserta, stupens confusaque luctu?
Quam superum nemo alloquitur, penitusque relictam
E coelo invisit nemo; nam te, Puer alme,
Sublato vidua haec miserae quis limina curet?
Hic meus est dolor, hoc vulnus; tibi (fletus inundans
Hei lassae lamenta negat), tibi, sancte Puelle,
Displicuisse aliquid; terra unde et matre relictis
Fugeris ad superos; nec verba extrema dolentis
Ferre, nec amplexus voluisse, nec ultima matris
Oscula plorantis: cur aegram, Nate, parentem
Sic fugis? Hic rupto lacrimarum gurgite flebat,
Nixa toro lassam cervicem; et multa volentem
Dicere praelargae et calidae lacrimae impediebant,
Queis oculi vultusque pluunt, vestesque sinusque,
Et madet ipse torus. Superum moestissimus astat
Septus nube chorus, miserans grave vulnus amantis.
Nam Deus ipse Pater cunctis praeceperat ante
Coelitibus, ne quis latebras et furta doceret;
Nec pietas quemquam miserae et lamenta moverent.
Heu! coelum tetigit moeror quoque. Nigra repente
Delituit luna in nimbo; rursum tonat axis,

---

V. 126. Edit. Venet. pro miserae l. posthac.

V. 127 et 129 (omisso V. 128) in Edit. Venet. sic leguntur:
Hic meus est dolor, hoc vulnus; tibi, sancte Puelle,
Displicuisse aliquid, quo laesus matre relicta

V. 131. Edit. Venet. pro matris l. lassae.

Annosaeque sonant quercus, rursum infremit Auster,
Insequiturque imber densarumque agmina aquarum
Fulguraque et grando, veluti si corruat aether
In praeceps, jungantque suos pia sidera fletus.
At coeli terraeque Sator, cui justa peracta
Virginei tandem visa est mensura doloris;
Non ultra ingentem passus procedere curam.
Ergo ad se genium Mariae vocat ore sereno,
Finem allaturus lacrimis. Jubet illico tranet
Nubila, opemque ferat, fletusque abstergat amaros
Parthenidi et sociis: exin mendacia saevi
Excantatoris retegat, penitusque resolvat
Taenarias fraudes. Libani de vertice jam sol
Extulerat matutina inter sidera currum,
Dispuleratque Austrum summis de collibus aura
Carmeli spirans. Ille aethere lapsus ab alto
Aëriis positis pennis nitidaque juventa
Induit ora senis Solyma venientis; anhelaque
Ora labore viae gressumque imitatur euntis.
Et jam Nazareae matres per proxima rura
Sollicitae exierant primi sub luminis ortum:
Ante alias vero tristissima Parthenis ibat,
Quam fidae comites Debora et Susanna sequuntur.
Has ubi prospexit viridi e convalle viator
(Virgo tamen prior haud longe consederat aegra),

V. 144 in Edit. Venet. non legitur.
V. 154. Parthenidi. I, 1.
V. 155. Excantatoris VIII, 18.
V. 156. Taenarias fraudes. III, 14. VIII, 18 seqq.
Libanus. V, 71.
V. 161. Solyma. I, 6.
V. 163. Edit. Veneta: Nazareae interea matres per proxima rura.

Astitit ante oculos, placidoque haec ore locutus:
Dicite, montivagae matres, quot adhuc stadia usque
In juga oliviferae Sunae? laeva haeccine tuta
Semita? an a fluvio dextrorsum tendimus? Olli
Susanna: Exiguum superest iter: amne secundo
Carpe viam, qua prona ferunt declivia vallis.
O miserae, excepit senior, quae cura vagantes
Huc egit? quidve illa procul comes altera plorat?
Quove tenetis iter? Largo tum Debbora fletu:
Ah pater! haud, inquit, nostrae tibi nomen ad aures
Fors unquam acciderit Mariae? Non ulla sub axe
Sanctior in terris; nec fas modo singula fando
Enarrare tibi. Sed nunc tristissima natum,
Cui non ulla parem tulit aetas, nec feret usquam,
Jam dudum vaga per montes perque oppida quaerit
Amissum, ut remur, Solymis. Stetit arte viator
Multa animo veluti reputans, levaque prehenso
Incubuit mento, paulumque obtutibus haesit
Intentis nutu pendente. Inde ora serenans:
Quae Pueri species, os, aetas et color? inquit;
Hunc ego fortasse.... Hic trepidis simul utraque dictis
Laetitia abruptis (tanto spes impete oborta)
Ambae sollicitae faciem vestemque coloremque,
Aetatem, crinem, vocem incessumque docebant,
Sicubi vidisset forte unquam, aut sicubi quicquam
Audisset. Solymis, ait ille, simillimus annis

---

V. 169. Edit. Veneta:

Adstitit ante oculos, atque haec prior ore locutus:

V. 171. Suna. IV, 97.

V. 175. Edit. Venet. pro O miserae l. At vos,

V. 177. Edit. Venet. pro tum l. cui.

V. 184. Solymis. I, 6. Luc. 2, 42 seqq.

V. 194 et 195. Edit. Veneta:

simillimus (ibam
Nunc equidem recolens) sacra Salomonis in aede

(Nunc ibam recolens) sacra Salomonis in aede,
Nuper erat. Sed enim (veniam permittite dictis)
Pulchrior illa oris species, quam patria vobis
Ferre queat tellus; nec talem viderit usquam
Mortalis, reor; et certe tam rara venustas
Coelesti de stirpe venit. Tanto altius illae
Tollere spem laetae, et vivis depingere pulchra
Ora modis, aliisque super muliebribus ambae
Indiciis instare novis. Ubi plurima vero,
Ut solet, hinc atque hinc dubia explorata, viator
Longum iter atque alias lassus praetendere curas:
Jam sinite hinc abeam, nam semita longior urget
In patrios colles. Simul haec, simul ore sereno
Accedens propius, secreto affatus ad aurem est:
O fortunatae! Tanto jam tempore vobis
Lux demissa polo; nec vestris credita terris.
Munera nostis adhuc? Vobis Regnator Olympi
Sorte datus vestris Numen latet hospes in oris.
Ocius accelerate gradus, contendite cursu
In sacras aedes: Deus est, Deus ille Puellus,
Quem vestigatis. Tum demum fulguris instar
Coelica lux animis fulsit. Pavor et metus ingens
Principio attonitas tenuit; dein vocibus altis
Laetitiae vastum nemus implevere: Maria,
Huc ades, inventus Puer est; sonat undique vallis:
Inventum, inventum Jesum. Quam saepe videmus
Noctibus aestivis clarescere cuncta repente
Ignibus ictu oculis sparsis, qua luce renident
Tecta atque arva procul, prius atra abscondita nocte;
Virginis haud aliter vox improvisa tenebras
Dispulit ex animo. Juvat usque atque usque morari,

V. 211 sqq. Confer canticum Zachariae. Luc. 1, 68 — 80.

Atque audire sui certa argumenta Puelli;
Singula nec finis, nunc haec nunc illa rogandi.
Sed non ferre moram senior: Vos ite, monebat,
Dum permittit adhuc sol altior axe. Cavete;
Nam si quando unquam rapido se gurgite torquet
Imbre Cison nocturno auctus, qui flumine oberrans
Hinc rursum tranandus erit; neu fidite ponti.
Haud procul ad stadium tenso vos cimbula fune
Transvehet; inde ferent trito vestigia calle.
His laetae indiciis matres divina canentes
Detersis lacrimis ibant; ceu roscidus aër
Cum liber pluviis hinc solem parte serena
Explicat, hinc pictum fuscis de nubibus arcum.
    Postquam animos vero cura satis ille levarat,
Protinus hinc geminis nitens se sustulit alis
Obscurum in lucum, quo noctem exegerat omnem
Turbinis acta metu per tesqua silentia nuper
Infelix Agar. Peregrini insignia mira
Aliger induerat, queis territa nympha repente est:
Namque humeros exomis obit taurina marinis
Assutis cochleis; ad tornum hastile peractum
Dextra gerit; medio vincta haeret sarcina tergo.
Piceni qualis sub sole viator in agris
Virgineas aedes transvectas Itala in arva
Pulverulentus adit; tali sub imagine sese
Obtulit in speciem flenti, causasque poposcit;
Unde domo errantem, quae sors, quisve egerit error?

---

V. 231. Cison. H, 30.

V. 243. Edit. Venit. pro infelix l. errabunda.

V. 248. Picenum ad mare Adriaticum regio, in qua Lauretum (Loretto) cum aedicula (Casa santa) s. Virginis, ad quam multi viatores religionis causa quotannis conveniunt.

V. 252. Edit. Veneta:
Unde domo quae sors profugam, quisve egerit error?

Atque ubi rem didicit: Terge, inquit, fletibus ora,
Pone metum: lateri comes addere; praevius ipse
Paulisper perplexa regam vestigia; donec
(Nec mora longa viae) certo te tramite sistam.
Haud procul hinc nemus illud erat frondentibus altis
Ilicibus septum, statio silvestris averni;
Quo turbam innumeram et lamias scortumque Selenen,
Ac centum vario Cacodaemonas egerat ore
Sacrilegus Simon. Illic tum forte sub ulmis
Et densis piceis platanumque silentibus umbris,
Qua media horrendo patet ingens area luco,
Argento gravia atque auro dapibusque superba
Duxerat in magnum convivia splendida gyrum.
Corpora taurorum aprorumque ingentia fumant
Lancibus in magnis; sparso foeda omnia Baccho:
Laetitiae insano strepitu nemus omne resultat.
Jamque aberant quantum longe vox missa per auras
Audiri poterat, gressumque coercuit Ales,
Ne comes obscoenas mensas epulasque videret.
Atque illam immemori similis cervice reflexa
Amissi Pueri (Pueri narraverat illa
Antea successum) nomen rogat; inde puellae
Hoc tu, inquit, nomen Coeloque Ereboque tremendum,
Versa illuc, sonus unde atris de frondibus exit,
Ore voca. Illa alte distento pectore et aura

---

V. 257. Edit. Venet. pro frondentibus altis l. septum undique taxo.

V. 258. Edit. Venet. pro ilicibus septum l. ilicibusque nigris.

V. 259. Lamiae. III, 319. Selene. VIII, 18.

V. 261. Simon. VIII, 18.

V. 267. Bacchus. VI 65.

V. 273 et 274. Edit. Veneta:

Amissi Pueri (Pueri namque inter eundum
Casum enarrabat) nomen rogat; inde puellae

Collecta quanto potuit jacere impete, Jesum
Intonuit. Dictu mirabile! protinus omnis
Intremuit lucus, pateraeque effusaque vina,
Concussique abaci atque argentea lapsa supellex.
Altius exclama, jubet Aliger: altius illa
Jesum iterum vocat. Ecce autem de faucibus imis
Convivae stygii, quorum intermixta sedebat
Turba ingens redimita ederis taxoque nigranti,
Exeruere atras immundo sanguine linguas.
Tertia sed postquam coelo vox clarior acta,
Non tulit ultra Erebus nomen: ventoque coorto
Omnia diffugere repente, ut fumus in auras.
Tunc ora attollens Agar fusco aëre vidit
Nigro in equo fugientem equitem, volucrique dracone
Invectam comitem sagam per inania ferri.
Tum meminit monstri horrendi, quod Parthenis olim
Praescia fatidico praedixerat ore fugandum:
Quae loca? quod spectrum? vultu exanimata poposcit.
Non haec tempus, ait ductor; jam summa peracta:
Inde scies. Extrema vocant me jussa Tonantis.
Hic ore exanguem divus peregrinus agrestem
Ignaram eventus umbroso in calle reliquit:
Atque hanc carpe viam, dixit, quae certa Puello
Obvia sub noctem reduci vestigia junget.
Sic ait: ipse autem subiit penetralia terrae
Promissi memor, et superas evexit ad auras
Infantum exiguas animas, quas vallis opacae
Abdidit in latebris: exin Jordanis ad amnem
Zacharidem ad Puerum roseis se contulit alis.

V. 297. Tonantis. VI, 162.

V. 306. Zacharidem ad Puerum. III, 288.
Edit. Venet. pro Zacharidem ad Puerum l. ad Puerum vatem.

Et jam dulce iter exactum finemque laborum
Advenisse queror. Meus inter carmina jam Sol
Paulatim cadit, et lassis superinjicit umbram,
Otiaque indicit et longa silentia musis.
Quas tibi, Diva Parens, referam, pulcherrima, grates,
Quae me jam tandem tenui vasta aequora lembo
Sulcantem in portum deduxeris, hasque canenti
Obtuleris mihi delicias, solatia fesso,
Quamdiu in hac exul mortali demoror umbra?
Heu! nunc orba sinis mihi plectra, amissaque plorant
Otia moerentes juga per deserta Camoenae.
At quando haec operis meta atque hic terminus haeret,
Carminibusque meis extremum te alloquor, alma
Partheni, per duros quos passa hucusque labores,
Perque tuum inventum Puerum, quem laeta reduces
Quamprimum in patrias aedes; o rebus in arctis
Unica spes aegrisque salus mortalibus, audi
Servatas hucusque preces supremaque vota.
Aspice terrarum quantum gemino regat orbe,
Qua cadit, exoriturque dies, Regnator Iberi
Carolus. Huic sobolem conjunctis orbis uterque
Fletibus implorat. Populorum flexa rogantum,
O diva Hesperiae custos tutelaque regum
Austriadum, sceptri haeredem impertire querelis.

---

V. 308. Edit. Venet. pro advenisse l. adventare.
V. 311. Edit. Venet. pro pulcherrima l. sanctissima.
V. 317. Camoena. I, 14.
V. 320. Edit. Venet. pro Partheni l. Nazari.
V. 326 seq. Regnator Iberi Carolus. Carolus II, Hispaniae (cujus fluvius maximus Iberus, Ebro, est) et Indiae occidentalis rex, quum (mort. anno 1700) successorem non reliquisset, causa fuit belli de occupando Hispaniae regno (ab ann. 1700 — 1714) gesti.
V. 329. Hesperia. IV, 437.

Tuque novae uxori, quae nunc maria aspera tranat,
Partheni, stella maris, cui venti et nubila parent,
Sterne aequor placidum, tempestatesque coërce.
Huc o deinde, Parens, oculos mitissima verte
Romulidum ad Regem tenera jam sceptra gerentem
Bina manu. Odrysii crescentem in fata tyranni
Augustum Puerum serva. Magni ille parentis
Fortia facta animi non eluctabile robur
Rebus in adversis, aequam inter prospera mentem
Sinceramque fidem primis meditetur ab annis.
Aspice postremo scissam late undique bellis
Europam, miserasque urbes data pabula flammis.
Tu potes hanc atram nutu sedare procellam,
Et simul invicti Leopoldi Caesaris armis
Fraena recusantem penitus submittere Thracem:
Romuleo ut tandem e solio Pater atque Sacerdos
Maximus, Adriaci decus immortale Senatus,
Cernat adoratum nomen circum undique Jesu
Pacatosque dies atque unum Pastor ovile.
Haec precor, haec supplex extremo carmine posco.
Interea quod restat adhuc, mihi proxima ripae
Dirige vela ratis, Virgo; Tu suffice puppi
(Namque parum superest) vicina in littora ventos.

---

V. 331. Novae uxori. Maria Anna (Neoburgensis), filia Philippi Gulielmi Electoris Palatinatus inferioris, cujus et Neoburgum ad Danubium erat, Carolo II Hispaniae regi (1690) nupsit.

V. 335. Romulidum ad Regem. I, 19.

V. 336. Odrysii tyranni. Odrysae, magna et potens Thraciae gens, antiquis temporibus regionem ad mare nigrum incolebant. Quam ob rem Odrysius tyrannus pro Turcarum imperatore. Cfr. VI, 327. III, 109.

V. 344. Leopoldi Caesaris. VI, 306.

V. 346. Pater atque Sacerdos i. e. Alexander VIII, Ottobonorum nobili genere Veneto prognatus, Pontifex Max. (1689) electus, qui Venetos pecunia ad bellum Turcis inferendum adjuvit.

Ergo in delubro augusto Solymeia in urbe
Turbam inter strepitumque Puer regnator Olympi
Concilio intererat magno. Tum forte coactis
Patribus et populo (ut series atque ordo ferebat
Commenti sacri) Hebdomadas Danielis aheno
E rostro Azarias interpres rite docebat.
Forte autem praesens aderat sublimis in alta
Sede Arimathensis Joseph: isque, ora frequentis
Dum populi lustrat, stantem e regione Puellum
Coelestem vidit: fixisque obtutibus amens
Attonitusque diuque silens immobilis haesit.
Nec minus interea vultu stupefactus eodem
Longaevus juxta senior pendebat ab ore
Mentis inops, faciem, vestem et singula mirans.
Hunc cubito tangens comitem laterique propinquum
Laeva ante ora manu posita, vicinus ad aurem,
Sic Arimathensis submissa voce locutus:
Aspicis illum, oculis et crine et janthino amictu
Insignem puerum strata inter palmea sacris
Intentum dictis? Proh Divum abscondita miris
Arcana in tenebris! Hunc ipsum (sidera testor
Hosque aditus sanctosque lares) hunc prorsus eundem
Nusquam alias visum noctu per somnia vidi;
Atque adeo demens feror, ut nova somnia credam
Haec eadem, quae nunc cerno praesentia, sic me

---

V. 358. Daniel propheta Messiam venturum praedixit. Dan. 9, 24 seqq.

V. 361. Joseph Arimathensis (Arimathaea sive Rama urbs in tribu Benjamin) Synedrio magno erat adscriptus. Luc. 23, 50. Matth. 27, 57. 58.

V. 366. Longaevus senior i. e. Nicodemus, Synedrii magni assessor, integritate vitae excellens. Joan. 3, 1. 4. 9. c. 7, 50. c. 19, 30.

V. 375. Edit. Veneta: Atque adyta haec sanctosque lares)...

V. 378 seqq. Edit. Venet. emendat et addit:

Haec eadem, quae nunc oculis praesentia cerno.
Ille videbatur malefidae ante ora cavernae
Ludere, dumque manum rimis insertat opacis

Exsorbet pavidum stupor. Irritaverat anguem
Injecto simplex digito qua regulus ingens
Abdiderat sese, egressumque repente refugit
Attollentem iras: circumsonat undique agrestum
Percussis palmis vicinia vocibus hydrum
Longe absterrentum. Cum denique in ardua pennas
Explicuit coelo Puer, elusoque colubro
Longo intervallo delatus in arbore sedit.
Ipse oculis tractu ingenti per inane sequebar;
Et tandem aëriae sublimem in vertice palmae
Aspicio. Heu! genitrix clamoribus excita longe,
Perque viam pede mixta super, caesoque cruento
Praedone infelix aderat; sed corpore toto
Densa inter folia abstrusus pulcherrimus Ales
Se circum plumis obstrictum incluserat albis,
Nec poterat cerni. Finem eventumque tueri
Ut cuperem, potes ipse animo tibi fingere. Somnus
Et nox, heu, me deseruere; nec inde secutum

---

Illic tellure abstrusum irritaverat anguem
(Nam digitos forte intulerat qua regulus ingens
Abdiderat sese) egressumque repente refugit
Attollentem iras: Procul, o procul undique agrestum
Conclamat trepide vicinia vocibus hydrum
Longe absterrentum...

V. 384 inter et 385. Edit. Venet. interserit:

Improviso humeris natas (mirabile visu)

V. 386. Edit. Veneta:

Longo intervallo liquidum per inane volabat.

V. 387. Edit. Venet. pro per inane l. cursuque.

V. 388. Edit. Veneta legit et addit:

Cum demum aëriae frondoso in vertice palmae,
Ceu volucris sublata metu, quam terruit auceps,
Constitit. At genitrix...

V. 392. Edit. Venet. pro ales l. infans.

V. 396 — 400 Edit. Venet. collegit:

Hic me deseruit, trepidum quo talia demum
Desierint. Sic ille. Senex tunc alter ad axem

Quid fuerit, novi. Sic ille; iterumque Puelli
Ad vultus rediit coelesti numine plenos
Admirans oculos, majestatemque serenam
Divinae frontis. Senior tunc alter Olympo
Sustulit ora manusque ambas; post multaque vocem
Vix tandem expediit: Deus est, Deus abditus isto
Certe, ait, in nodo. Somnus qua desiit, inquit,
Hic tuus, hinc nexu arcano meus incipit. Ipse
Penningeri Infantis (quando haec tibi cura relicta)
Successum referam. Per scabri corticis ambo
Ardua connixi genibus, manibusque prehensum
Amplexi truncum valido luctamine; tandem
Aegre vi multa in ramos evasimus altos.
Heu pietas! Geminis alis utrinque reductis
Vidimus exanguem faciem respersaque vivo
Sanguine membra: latus longo trajecerat illi
Rusticus infixo venabulo; et, hei mihi! squalens
Pendebat niveo ex humero pulcherrima cervix.
Nos Puerum in prato exanimem distendimus inter
Purpureos lacerum flores et vulnera rivo
Lavimus; inde ut erat, ferali in sindone Matri
Ploranti tulimus. Tres illic crine soluto
Lugebant moestae comites; interque dolentum
Lamenta et gemitus ferientes sidera et altas
Foemineas voces luctusque reliquimus. Hic me
Heu pariter lassum tristissima liquit imago.
Talibus inter se dictis miranda vicissim
Ore susurrabant ambo, lacrimasque ciebant.

---

V. 416. Edit. Veneta:

Purpureos flores et hiantia vulnera rivo

V. 419 et 420. Edit. Veneta:

Lugebant moestae comites, quae myrrhina odori
Vascula contulerant aloës; interque dolentum

Ecce autem interea Mater, quae denique fessis
Cum sociis spatio emenso delubra subibat,
Sollicita explorans oculis sua pignora. Vestes
Et capitis velum et fletus vestigia prorsus
Talia cernere erat praesenti, qualia somnus
Pinxerat. Obstupuere senes magis; illico visa
Ora recognoscunt memores: En illa, tremendum
Quae pede calcarat serpentem: En illa, peremptum
Cui nos detulimus natum. Flagrabat uterque
Quamprimum affari peregrinos; atque ubi tandem
Interpres legis longo post plurima finem
Eloquio imposuit, convenere illico Natum;
Et genus atque iter et nomen patriamque rogabant.
Adfuit ipse etiam cano venerabilis ore
Azarias pater admirans responsa loquentis;
Et multum illacrimans senior bonus, indolis almae
Vim promptam varia circum ire indagine gaudet.
Quin etiam hebdomadas Danielis, themata nuper
Proposita ac discussa palam, scitarier ausus.
Cui Puer aetherius coelesti in luce refulgens
Sic turba in media fatus: Jam temporis aetas
Praefixa hebdomadum venit, qua victima Sanctus
Occidendus; et hunc vestris in collibus Arbos
Funerea excipiet. Vestrum par nobile rite
Exequias solvet. Post haec vastatio, luctus
Et populi excidium. Nostri haec oracula vatis.
Sic ait: obstupuere omnes; stetit ipse sacerdos
Attonitus dictis. Hesternae somnia noctis
Agnovere senes: Hic est Puer ille cruentus;
Haec erat illa arbor; nosque, ut reor, ultimus iste
Poscit honos tumuli. Subitus circumstetit horror

---

V. 449. Post haec vastatio. Cfr. Daniel c. 9, 26. 27.

Perculsas mentes: comites sese addere furtim,
Atque oculis servare juvat vestigia longe;
Quo tendant, quo se demum tanta omina vertant.
Ergo age, qui reditus fuerit, queis versaque miris
Ultima scena modis, utque alta arcana retecta
Ostensusque Puer, finis pretiumque laborum.
Nox erat, et lunam nubes incluserat atra,
Necdum Parthenidis custos Jesseaque Virgo,
Debboraque atque Agar porfuga et Susanna redibant.
Nazaridum vulgus jam tristia volvere secum
Coeperat auguria, atque illas quoque per loca vasta
Dispersas; pluviisque auctos sine pontibus amnes
Abruptasque vias imbri noctemque timebant.
Augerique magis cura intendentibus atris
Se coelo tenebris; moestique extra oppida opaco
Sub dio ancipites stabant. Ubi plurima vero
Irrita nox fluxit, nec jam spes ulla videndi,
Et late loca cuncta silent: quis tristia fando
Lamenta et gemitus, desperantumve querelas.
Explicet? Hic Jesse, hic Ammon, hic crine soluto
Dina gemens et pulchra Esther innuptaque Zambris,
Et senior Jonas Jerichuntaque Elisaque plorans.
Luctus erat, qualis tecto cum mater et orba
Sponsa recens funus plorant, sponsique cadaver
Aedibus effertur. Non si ferus irruat hostis
Vastator, tantus se tollat clamor ad auras.
Ecce autem hos inter questus fax visa per umbram
Adventare procul, quam multo lumine clarus
Pellicea hirsutus zona puer igne ferebat
Flammantem largo: faciesque humerique nitebant
Eminus atque sinus atque ora. Ut Phosphorus axe

V. 486. Phosphorus. VI, 204.

Pingitur aurorae roseis anteire quadrigis,
Purpureamque aperire diem mortalibus aegris:
Haud secus aurata Praecursor Numinis almi
Ardebat face scintillans: vox claraque coepit
Audiri longe, vox agni nuncia felix
Ter coelo audita. Huc illum deduxerat Ales
Aëre sublatum per opaca silentia noctis,
Lucem allaturum et moestae solatia genti.
Omnia quae divus jam tum condixerat Infans,
Spelunca exceptus cum degeret hospes eadem.
Jamque aderat propius, roseoque haec ore locutus:
Quid vero hic tristes flendo consumitis horas?
Nec subit interea redeunti occurrere Matri,
Quae Jesum revehit? Vobis huc nuncius adsum
Numinis inventi. Simul haec, simul igne coruscam
Obvertit cedrinam tedam, turbaeque praeibat;
Perque viam, magicas ut nuper solverit Agar
Insidias, utque arma prius Juditha Gehennae
Fuderit, utque eadem thalamis adjuncta supernis;
Tum Pueri absentis miranda arcana docebat.

Protinus auditi litui, et lux eminus ardens
Visa per obscuras multo igne incedere frondes.

---

V. 489. Praecursor Numinis. III, 288.

V. 489 seqq. Edit. Veneta:

Haud secus aurata Praecursor Numinis atram
Findebat noctem facula; vox claraque coepit
Audiri longe. Huc illum deduxerat Ales

V. 495 et 496 in Edit. Venet. non leguntur.

V. 503. Agar. IX, 277 seqq.

V. 504. Juditha. IV, 334 seqq. V, 399 seqq.

Gehenna (vallis Hinnom prope Hierosolymam, ubi Baal colebatur. I Regg. 11, 7. II Regg. 16, 3. 4) translate pro suppliciorum perpetuorum loco (Tartaro) sumitur. Matth. 5, 22. Luc. 12, 5.

Zacharides jussit turbam discedere utrinque
Partitam ordinibus longis; duxque agminis ipse
Instructorque ibat medius; spatioque relicto
Hinc atque inde viam Matri Pueroque parabat,
Tum patrium intonuit nemorosa per avia carmen
Adventante Deo; visi subsidere colles
Palmiferi, trepidare metu, tremere omnia circum.
Principio labarum coeleste apparuit ingens
Inter clara tubae praeeuntis carmina. Centum
Hinc atque hinc aderant ceris ardentibus, ostro
Et bysso insignes juvenes. Comitantur euntes
Nazaridum exigui manes, quos funere quondam
Sustulit Herodes, quibus omnibus igne flagrantes
In dextris faculae. Vestes et vulnera et ora
Atque illas ipsas chlamydes, quas utraque nerat,
Continuo agnovit Rachel atque anxia Dina.
Benonem illa suum, pulchrum videt altera Eberum,
Quos longum flerant. Bis septem pone canistris
Purpureas fundunt violas nimbosque rosarum
Infantes alii: rubet omnis semita flore.
At victrix gressus per candida serta ferebat,
Aurata insignis palla victricis imago
Judithae, cui peplum humeris atque annulus ardens
In digito. Hinc lassae matres sociaeque viarum
Debbora, Susanna atque Agar; inde ordine longo
Purpureae chlamydes, vexilla, argentea scuta,
Militiae aetheriae species, hastata juventus.
Quis pompam illius noctis lucemque renarret?
Insonuere repente tubae, quo murmure ripae

---

V. 509. Zacharides. III, 288.
V. 516. Edit. Venet. legit et addit:

Principio labarum coeleste apparuit hasta
Defixum ingenti, quam princeps sustinet ales

V. 521. Herodes. III, 409.

Et pulsi colles responsant: audiit aeris
Horrendum carmen Tenechos nemorosaque Hiebla
Et Lyde et Marehon et proxima nubibus Herme.
Ecce autem hos inter plausus Amor inclitus ibat,
Cui super alta ingens umbella holoserica pictis
Sex agitur suffulta hastis, geminique Hierarchae
Thuricremum lentis alternant jactibus aurum.
Dextra tibi nodo, Genitrix, implexa tenaci,
Haud iterum fugitura; tibi manus altera nexu
Stringitur, alme senex. Campi, nemora avia, valles
Carminibus vatum resonant: O splendor Olympi!
O lux in tenebris exorta! o Legifer orbis
Expectate diu! o nostros miserate labores!
Parce Pater, parce Omnipotens. Mens omnibus oestro
Afflatur divo, Regemque Hominemque Deumque
Paciferumque vocant, et sanctum Numen adorant.
Quaque iter est, ramos curvat subeuntibus arbos:
Desuper omnigenum cernuntur nubila Divum
Plena choris. Alto Pater ipse e culmine Mundi
Aspicit e solio reduces, atque omnis ab astris
Coelestum populus, portas quoque tectaque summa
Et muros pagi et turres insederat. Ipse
Aetherios inter comites pulcherrimus omnes
Hoste triumphato Jesseius it Puer instar
Sideris eoi; signant vestigia acanthi
Mixtaque parthenio bellis, convolvolus, iris,
Et crocei flores campi. Sic ille redibat;
Nazareisque suis post tot discrimina lucem
Auroramque redux materna in tecta ferebat.

---

V. 539 et 540. Nomina: Tenechos, Hiebla, Lyde, Marehon et Herme in literis ss. non reperiuntur.

V. 549. O lux in tenebris exorta seqq. Confer Isai. 9, 1 — 7. c. 11. c. 60 — 62. Amos 9, 11 seqq. Mich. 4. Sophon. 3, 9 sqq.

# Index vocum et rerum.

*Prior numerus librum, posterior versum indicat.*

## A.

## B.



## C.

## D.



## E.

## F.



## G.



## H.



## I.

## J.



## L.



## M.

## N.



## O.



## P.

## Q.



## R.



## S.

